DE

TRAGŒDIÆ GRÆCÆ NATURA

EIUSQUE

CUM EPICA GRÆCORUM POESI NECESSITUDINE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPTAM EDIDIT

ANTONIUS FUCHTE,

DR. PHIL.

ASSINDIÆ,

OFFICINA TYPOGRAPHICA G. D. BÆDEKER.

MDCCCLXX.

VIRO

ILLUSTRISSIMO PRÆCLARISSIMO

GUSTAVO HACHE,

URBIS ASSINDIÆ PRÆFECTUI, SENATUS RES SCHOLÆ PUELLARIS IBIDEM ADMINISTRANTIS PRÆSIDI,

TOTI HUIC ORDINI REBUS URBIS SCHOLASTICIS OPTIME FAVENTI

OBSEQUIUM SUUM TESTIFICATURUS

HASCE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Incipienti mihi tragoediae Graecae naturam accuratius perquirere, id momenti vel maximi esse videtur, probe scire, quomodo novum hoc genus poesis prodierit et a rudibus exiguisque initiis profectum ad id tandem perfectionis fastigium pervenerit, quod a tribus illis tragoediae Graecae principibus, Aeschylo, Sophocle, Euripide ascensum esse adhuc admiramur semperque admirabimur. Multa enim, quae postea semper in tragoedia inveniuntur, multa, quae ad propriam eius naturam accurate perspiciendam haud parvam sane utilitatem habent, nisi ad originem eius recurras, prorsus illustrari nequeunt. Quam ob rem facilem om nium assensum mihi videor habiturus, si ei, quae deinceps sequetur de natura tragoediae Graecae commentationi brevem huius generis poesis historiam praemittam eamque a primis inde tragoediae initiis ad summum usque florem eius accuratius paulo persequar.

Quotquot veterum recentiorumque scriptorum tragoediae originis mentionem faciunt, in eo omnes consentiunt, a chori carminibus, quae iam antiquissimis temporibus in Bacchi honorem fundi solebant, eam esse profectam. Sunt vero duo potissimum horum carminum genera discernenda, quorum alterum comoediam ex se genuit, alterum ad aram dei cani solitum tragoediae inveniendae occasionem praebuit[1]. Alteri huic carmini, quod solum hoc loco nobis respiciendum est, nomen erat dithyrambi. Quem quum ab Arione si non inventum, certe cum arte quadam expolitum esse constet[2], haud valde Suidas lexicographus peccaverit, qui sine dubio hoc tantummodo sensu modum tragicum invenisse eum contendit[3].

Iam vero ad naturam huius dithyrambi quod attinet, id sane mirandum, duo illa elementa, quae omni Graecorum poesi dramaticae originem dedisse constat, iam ante Arionem in eo inveniri. Nam quum non solum res gestas atque miracula Bacchi referret, verum etiam laudibus eius celebrandis inserviret, epicum pariter atque lyricum iam antiquitus eum fuisse optimo iure conjicias. Utrum vero carmen ludicrum primo ille fuerit, an statim ab initio severitatem illam postea tragoediae propriam prae se tulerit, incertum est; utrumque enim fieri

---

[1]) Arist. poet. IV, 14 ed. Herm.

[2]) Herod. I, 23.

[3]) Suid. s. v. Ἀρίων.

potuisse, Bacchi naturae consentaneum est, utpote qui deus non effusae solum laetitiae, verum etiam luctuosissimae querimoniae a vitium cultoribus caprariisque colebatur. Atque quoniam chori illi dithyrambici a primis inde initiis cum cultu deorum arctissime cohaerebant, verisimillimum fortasse cui videatur, seria illa carmina fuisse. Ita enim fieri fere videmus, ut ii, qui cultui cuidam mystico addicti sunt, remotis iis omnibus rebus, quae ad hilaritatem eos deducere possint, tristitiae querimoniisque indulgeant. Sed hanc sententiam quamvis per se probabilem ideo potissimum rejiciendam puto, quod Aristoteles, cui summam hac in re auctoritatem tribuas, sero tragoediam utpote e genere satyrico natam e ludicra dictione graviorem emersisse contendit[1]). Haec igitur ludicra carmina a choro, cuius singulae personae pellibus hircinis indutae Satyrorum, Bacchi comitum, mores gestu habituque referebant, ad aram dei canebantur. Atque a rusticis quidem haec satyrorum ludibria diu retinebantur, apud Dorienses vero, quibus omnium Graecorum maxime severitatem quandam propriam fuisse constat, paulatim magis magisque evanuerunt. Quo factum est, ut ii sensim mores invaluerint, qui ad tragoediam iam propius accedant. Sed haec de dithyrambo eiusque natura primitiva. Nunc videndum est, quomodo tragoedia re vera hoc nomine digna originem inde duxerit. Atque haec quidem ab iis repetenda esse videtur, qui singulos choros ducebant cantusque praeibant[2]). Hi enim, dum chorus post illam circa aram saltationem quiesceret, per intervalla prodibant, ex ipsius dei fabulis tale quid narrantes, quod cum chori carminibus aut modo cantatis aut postea cantandis quadam ratione cohaereret. Quam ob rem non sine magna veritatis specie dixeris, his extemporalibus chori ducis narrationibus initia quum artis mimicae, quam etiam a choro non prorsus abiudicaverim[3]) tum severitatis tragoediae postea propriae contineri. Quae quidem narrationes quum semel dithyrambo essent admixtae, mox eo usque processerunt, ut a Baccho ad alias etiam fabulas transirent ipsosque heroes, inter quos unum Adrastum nominare satis erit, celebrarent[4]).

Sed adhuc extemporalia ista natura erant mere epica. Thespis primus divinavit, posse epicam fabulam idoneis colloquiis ita misceri cum religiosis choris, ut totum aliquid inde efficeretur[5]). Is enim

---

[1]) l. c. IV, 17. Simile quid etiam Athenaei verba significare videntur: *ἀπὸ μέθης καὶ ἡ τῆς κωμῳδίας καὶ ἡ τῆς τραγῳδίας εὕρεσις ἐν Ἰκαρίῳ τῆς Ἀττικῆς εὑρέθη.*

[2]) Arist. l. c. *ἡ μὲν τραγῳδία ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων τὸν διθύραμβον γενομένη . . . κατὰ μικρὸν ηὐξήθη.*

[3]) Diog. Laert. III, 56: *ὥσπερ τὸ παλαιὸν ἐν τῇ τραγῳδίᾳ πρότερον μὲν μόνος ὁ χορὸς διεδραμάτιζεν.*

[4]) Herod. V, 67.

[5]) cf. Diog. Laert. in V Plat. XXXIV, 56. Athen. XIV, pag. 360 et Boeckh in oeconomia Athen. tom. II, pag. 362 sq.

primum actorem sive histrionem invenit, qui a mutuo sermonis commercio, quod cum choro ei intercessit, *ὑποκριτοῦ* nomen accepit[1]). Quapropter iure etiam non tragoediae tantum, sed totius artis dramaticae, quae quidem eo nomine digna videatur, fundamenta iecisse putandus est[2]). Qui quum ex Attica esset oriundus Athenisque consedisset, id simul apparet, rudia Doriensium initia ab Atticis maximeque Atheniensibus ita primo perpolita esse, ut iustae tragoediae inventionem sibi vindicare videantur. Neque hoc mirum. Nam quum in tragoedia Graeca epico pariter atque lyrico generi poesis locum esse inveniamus, quorum illud Ionum, hoc Doriensium ingenio maxime convenit, Atheniensibus vero cum utroque populo morum aliqua ingeniique esset similitudo, nihil magis naturae consentaneum est, quam etiam in ipsis ingenii operibus utrique eos quodammodo sese applicuisse singulorumque proprietates ad totum quiddam conformasse. Quod quidem in tragoedia re vera factum est. Thespis enim choro lyrico a Doriensibus potissimum expolito epicam narrationem intexuit talique modo effecit, ut novum poesis genus ex duobus adhuc usitatis aeque mixtum prodiret, quod ita posthac proprium est Atticorum, vix ut unum alterumve aliunde natum in societatem gloriae eo partae admittant. Quae ab Atticis lyrici epicique poesis generis instituta coniunctio magis etiam appareret, si verum esse demonstrari posset, quod Gruppius[3]) olim coniecit, in Thespidis tragoediae parte epica etiam hexametrum semper esse adhibitum. Sed quantopere hanc sententiam, quae eo tantum fulciri quodammodo potest, quod metrum illud a Phanothea, Icarii uxore, qui in antiqua tragoedia perillustris est, profectum esse perhibetur[4]), meam facere vellem, in eo tamen acquiescendum mihi esse visum est, quod ab Aristotele refertur: naturam ipsam autoschediasticis narrationibus metrum iambicum invenisse[5]).

Iam vero, ut ad Thespidis inventionem revertar, ideo fortasse quispiam haud magni eam momenti fuisse putaverit, quod usus unius ab eo instituti histrionis ad artem tragoediae dramaticam accuratius excolendam vix ullam vim habere potuisse videatur. Sed res alia est. Nam quum propter larvas, quas idem Thespis aut invenisse aut perfecisse perhibetur, saepius deinceps ille histrio in scenam prodire posset, sane actio quaedam narratione ac mutuo cum chori personis colloquio

---

[1]) Eustath. ad Il. VII, 407: *φασὶ δὲ καὶ τὸν παρὰ τοῖς δραματικοῖς ὑποκριτὴν οὕτω λέγεσθαι διὰ τὸ πρὸς τὸν χορὸν ἀποκρίνεσθαι.* cf. Pollux onom. IV, 123.

[2]) cf. Welcker in libro, cui titulus: Nachtrag zur äschyl. Trilogie Prometh. pag. 268.

[3]) in libro, qui inscriptus est: „Ariadne“ oder über die tragische Kunst der Griechen pag. 127.

[4]) Clem. Alex. strom. I, pag. 366.

[5]) l. c. IV, 18: *λέξεως δὲ* (sc. *τῆς τραγῳδίας*) *γενομένης, αὐτὴ ἡ φύσις τὸ οἰκεῖον μέτρον εὗρε· μάλιστα γὰρ λεκτικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖόν ἐστιν.*

repraesentari et ad certum finem adduci potuit. Qua in re nuntiorum etiam, praeconum chorique ipsius partes fuisse praecipuas perquam verisimile est. Chori vero id praeterea erat, ut singulis intervallis, quibus ad novam personam suscipiendam histrio e spectatorum conspectu recesserat, cantica sua ederet. Quae quidem in Thespidis tragoedia principem usque locum obtinuisse ipsamque fabulam esse auspicata, antiquissimis Aeschyli fabulis, e quibus Supplices ac Persae a chori canticis incipiunt, vel optime confirmari videtur.

De ipso vero argumento huius tragoediae magna adhuc inter viros doctos dissensio est, ita ut alia alii de eo statuerint[1]. Sed mihi quidem non dubium esse videtur, quin serium potissimum fuerit. Nam praeterquam quod lyricam Doriensium tragoediam, a Boeckhio in lucem nuper protractam, quae dramaticae originem dedit, non iam lascivam et satyricam, sed seriam fuisse satis certum videtur, semper scriptores antiqui Thespidis utpote tragici poetae mentionem faciunt. Huc accedit, quod Phrynichus, quem omnes tragici nomen mereri consentiunt, Thespidis discipulus fuisse traditur. Est vero hoc fere commune cuivis discipulo, ut quam proxime ad id accedat, quod praeceptoris est proprium. Vix ergo credibile est, tragoediae argumentum ab illo in serium subito esse immutatum, nisi tale quid a Thespide in eum redundasse statueris. — Sed haec de Thespidis tragoediae argumenti natura. Iam restat, ut id quoque breviter attingam, quomodo ea acta sit. Hoc igitur loco minime probanda est Horatii sententia, qui plaustris poemata sua Thespin vexisse dicit[2]. Certe enim antiquissimum scenae tragicae genus non plaustrum erat, quo Susario Megarensis, qui primus comoedias Athenis docebat, utebatur, sed mensa, *ἐλεός* a Polluce dicta[3], cuius in locum a Thespide pulpitum ex tabulis constructum substitutum esse videtur. Quod quum Ol. LXX inter agendam fabulam corruisset, theatrum illud in Lenaeo ad Bacchi templum situm exstructum est[4]. — Thespidis igitur tragoediae forma exposita, deinceps est videndum, quid ii, qui eum exceperunt, Phrynichus, Choerilus, Pratinas ad eam accuratius excolendam contulerint. Ad Phrynichum igitur quod attinet, duae potissimum inventiones ei tribuuntur. Namque tum personas muliebres in scenam induxit, quas et in chori cantica et

---

[1]) Casaubonus: de sat. Graec. poesi Romanorumque satira pag. 120, 125. — Bentley: dissert. Phal. pag. 285. — Hermann in adnot. ad Arist. poet. pag. 108. — Dahlmann: primordia et successus vet. comoediae cum trag. comp. pag. 8. — Jacob: quaest. Sophocl. pag. 12, 116. — Cll. Arist. poet. IV, 17. Diod. Sic. IV, 5. Suid. s. v. *οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον* et Plut. symp. I, 1, 5, qui scurrilem hanc trag. fuisse credere videntur. Quos refutat Welckerus: „Nachtrag" etc. pag. 287.

[2]) Hor. ars poet. v. 275—278.

[3]) onom. IV, 123: *ἐλεός, τράπεζα ἀρχαία, ἐφ' ἣν πρὸ Θέσπιδος εἷς τις ἀναβὰς τοῖς χορευταῖς ἀπεκρίνατο.*

[4]) Suid. s. vv. *Αἴσχυλος* et *Πράτινας* cll. Herm. opusc. III, 151 et Schneider: „Das attische Theaterwesen".

in histrionum partes recepit, tum tetrametro trochaico est usus[1]. Qua re id puto significari, primum eum, histrionis a chori ducis persona seiuncta, diverbium instituisse in eoque ita fere tetrametro esse usum, uti in Aeschyli Persis adhibitum eum invenimus. Maxime vero in eo est laudandus, quod severitatem illam dignitatemque, quibus propria tragoediae vis atque natura continetur, magis excoluit et a Bacchi fabulis ad heroicae aetatis argumenta, quae ab eo inde tempore fere sola in tragoedia tractantur, primus transiit[2]. Neque id hoc loco negligendum est, quod fabula illa de Mileti expugnatione, inter quam agendam omnes spectatores lacrimis sese dedisse narrantur[3], ab inani oblectatione deorumque et heroum fabulis ad reipublicae et patriae rationes artem suam revocavit eaque audacia novam tragoediae, qua progrederetur, viam praescripsit.

Quum vero per Phrynichum et qui eum excepit, Choerilum, de cuius vita et arte certa veterum testimonia ad nos non pervenerunt, ita tragoedia esset mutata, vix ut quidquam generis illius ludicri, a quo erat profecta, remanserit, eo usque indignationis populus processisse dicitur, ut satyrorum ludos reposceret. Cui ut satisfieret, a Pratina Phliasio, ne Bacchi memoria prorsus ex tragoedia evanuisse videretur, drama quod vocant satyricum artificiose excultum tragoediaeque annexum est. Quod novum poesis dramaticae genus a Casaubono ita definitum[4], ut sit poema dramaticum, chorum ex satyris habens, personarum illustrium actionem notabilem, partim seriam, partim iocosam exprimens, stilo hilari, exitu plerumque laeto, quando primum ita lege certa tribus tragoediis annexum sit, ut tetralogia efficeretur, difficile est dictu. Id dumtaxat certum est, Ol. LXXVI, quo tempore Aeschyli Persae agebantur, hanc rationem in usum iam venisse.

Pratinae aequalis erat Aeschylus, qui non solum dignum rei gravitate ornatum histrionum invenit[5], verum etiam, quod longe maximi est momenti, secundum actorem instituit[6]. Qua re factum est, ut chorus, cuius partes adhuc praecipuae fuerant, imminueretur et actio absoluta, quam omnis requirit poesis vere dramatica, exsisteret. Si quis vero miretur, si legerit, cantica ab Aeschylo esse deminuta, quippe cuius in fabulis cantica dimidium certe totius dramatis expleant, is velim meminerit, ante Aeschylum actionem ipsam in tragoedia rem secundariam, ante Thespidem plane fuisse nullam. Aeschylus igitur

---

1) cf. Suid. s. v. *Φρύνιχος.*

2) cf. Aeliani var. hist. III, 8, ubi tragoediarum eius tituli nominantur.

3) cf. Herod. VI, 21.

4) l. c. pag. 100.

5) Hor. l. c. v. 278 sqq.

6) Arist. l. c. IV, 16: *καὶ τό τε τῶν ὑποκριτῶν πλῆθος ἐξ ἑνὸς εἰς δύο πρῶτος Αἴσχυλος ἤγαγε καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσε, καὶ τὸν λόγον πρωταγωνιστὴν παρεσκεύασεν.*

primus fecit, ut actio cantica aequaret[1]). Praeterea idem ita primus tragoediam instituit, ut iam certis quibusdam cogitationibus sive ideis, quas philosophi vocant, exprimendis inserviret. Quibus rebus omnibus eo tandem tragoedia processit, ut ad perfectionem nihil ei deesset, nisi quod a Sophocle in eam illatum esse constat. Nam quum ille tertium actorem assumsisset scenaeque descriptionem perfectiorem reddidisset[2]), iam non habuit tragoedia, ultra quod progrederetur. Postea enim qui secuti sunt tragici, ita hanc poesin in deterius mutarunt, ut post Euripidem, quem ipsum multis in rebus iam saepe peccasse videbimus, magis in dies dilaberetur et haud multo post Alexandri Magni tempora prorsus sensim interiret. — Quae quum ita sint, tota nostra de tragoediae Graecae natura commentatio Aeschyli, Sophoclis, Euripidis fabulis quasi fundamento nitatur necesse erit, quippe quae et perfectissimae in suo genere et sint satis frequentes, ut quasi normam praebeant, qua post magnam in hoc genere iacturam totius tragoediae Graecae naturam metiri possimus. In qua accuratius exploranda eam ingrediemur viam, ut primum de summa tragoediae sententia, deinde de diverbio agentibusque in eo personis, tum de choro, sermone reque metrica, postremo de fine huius poesis agamus et simul respiciamus, quid in singulis his rebus cuiusque trium tragoediae principum sit proprium. Quas quidem partes quum fere omnes etiam Aristoteles in arte sua poetica, — quem libellum quamvis mutilatum depravatumque tamen aureolum iure dixeris — ratione a nostra minime aliena tractaverit, eum potissimum ducem sequemur, ita quidem, ut ex eius praeceptis tragoediae totius naturam maximam partem deducamus. Atque hanc nostram rationem nemo, puto, facile improbabit, praesertim quum in eodem illo libello etiam de necessitudine tragoediae cum epica Graecorum poesi, qua de re in altera commentationis parte nobis agendum est, haec illa allata inveniantur.

Jam vero ut rem nostram aggrediamur, id inter omnes constat, opera trium tragoediae Graecae principum ita omnibus numeris esse absoluta, ut perfectissima Graeci ingenii monumenta iure nominentur veraque artificia habeantur. Perfectum vero artificium id nominamus, cui ideam sive summam quandam sententiam subesse apparet, ad quam quasi sedem communem singula quaeque referantur. Ad tragoediam igitur quod attinet, hanc summam sententiam in humanae libertatis contentione cum fati necessitate, vi quadam dubia atque incognita, quae hominum voluntati adversatur, positam esse inter viros doctos convenit. Cuius fati naturam tam gravem tamque severam nonnulli esse statuerunt, ut sine ulla culpae ratione mala hominibus immittat, quin etiam necessitatem faciendi scelera nefaria, quorum postea poenas dare debeat, iis imponat[3]). Sed haec ratio a tragicis

---

1) cf. Lange: „de Aeschyli vita et operibus“ (Progr. des Friedr.-Wilh.-Gymn. zu Berlin vom Jahre 1832).

2) Arist. l. c. IV, 16: *τρεῖς δὲ ὑποκριτὰς καὶ σκηνογραφίαν Σοφοκλῆς παρεσκεύασεν.* cll. Diog. Laert. in vita Plat. XXXIV, 56 et Suid. s. v. *Σοφοκλῆς.*

3) cf. Garve in libro, cui titulus: „Gedanken über das Interessirende“, pag. 398.

aliena. Ubique enim in tragoediis Graecis prima quadam culpa — πρωτάρχῳ ἄτῃ [1]) — fatum excitatur, quae quidem ad posteros etiam propagata totam haud raro stirpem evertit. Quod bene ipse Sophocles his verbis expressit:

Εὐδαίμονες, οἷσι κακῶν ἄγευστος αἰών·
οἷς γὰρ ἂν σεισθῇ θεόθεν δόμος, ἄτας
οὐδὲν ἐλλείπει, γενεᾶς ἐπὶ πλῆθος ἕρπον ....
ἀρχαῖα τὰ Λαβδακιδᾶν οἴκων ὁρῶμαι
πήματα φθιμένων ἐπὶ πήμασι πίπτοντ'·
οὐδ' ἀπαλλάσσει γενεὰν γένος, ἀλλ' ἐρείπει
θεῶν τις, οὐδ' ἔχει λυσιν· [2])

Hanc vero culpam, quam serius ocius fatum sequi necesse est, non solum violandis oraculis, factis sceleratis, insolentia, superbia, verum etiam nimia fortuna homo sibi contrahere potest. Neque mira haec veterum opinio. Nam si quis diligenter animum ad res humanas attenderit, mox id sibi persuaserit, cum magna felicitate superbiam plerumque temeritatemque esse coniunctas, quibus in mala saepe miseriamque homines dejiciantur. Minime ergo Graeci vituperandi sunt, quod ipsos deos, a quibus nihil humani erat alienum, nimiam fortunam hominibus quodammodo invidere [3]), quin etiam magnis divitiis eorum animos obcoecare putabant, quibus calamitatem struere vellent. Atque hinc *Ἄτη*, hinc *Νέμεσις*, hinc *Δίκη* ac *Τύχη*, hinc *Ζευς νεμέτωρ*, hinc *Μοῖραι* atque *Ἐρινῦς*, hinc *ἀλάστωρ*, *ἀνάγκη*, *δαίμων*, *πότμος*, *κήρ*, hinc alia denique numina, quae partim manifestae scelerum ultrices sunt, partim vim fatalem rationi proponunt et consilio moderatam, originem duxerunt. His enim introductis numinibus in tragoedia efficitur id, quod ad poeticam necessitatis tractationem requiritur, ut certa specie comprehensa necessitas quasi ante oculos collocetur [4]).

Neque vero eum solum haec numina vexare maximisque malis infligendis ad certum exitium vocare solent, qui suis peccatis ea provocavit, sed eos etiam vehementer insectantur, qui deo aliquo auctore impia nefariaque commiserunt aut quasi inviti et inscii oraculo cuidam repugnarunt. Neque id quidem iniuste. Nunquam enim tam simplex tamque absoluta necessitas invenitur, ut nihil prorsus ab hominis libertate pendeat. Neque vero hoc loco est negligendum, quod, qui tali modo peccaverint, non interire, sed ex multis gravissimisque malis immissis superiores discedere solent [5]). Atque haec quidem in universum fati natura, quod pro suo ingenio temporumque ratione aliter

---

[1]) cf. Aesch. Agam. v. 1293 ed. Schütz.

[2]) Soph. Antig. v. 582 sqq. ed. Matthiae.

[3]) cf. Herod. I, 32, ubi Solon dicit: *τὸ θεῶν πᾶν φθονερόν τε καὶ ταραχῶδες εἶναι.*

[4]) cf. Herm. ad Arist. poet. pag. 265.

[5]) cf. Soph Oed. Col. et Aesch. Eum.

singuli poetae tragici tractarunt. Aeschylus enim, qui ipse bellis Persicis interfuerat sibique persuaserat, victoriam illam a Persis reportatam maiorem esse, quam quae exiguis Graecorum copiis parari potuerit, cum omnibus aequalibus sibi persuaserat, diis maxima parte eam deberi. Quam ob rem fieri non potuit, quin singulari eos amore semper prosequeretur pieque coleret. Fatum vero, quum diis non superius, sed plerumque voluntatem eorum repraesentans atque perficiens cogitaretur, ei quoque in tragoediis suis praecipuum quendam locum concedere debuit. Atque ita re vera factum esse videmus. Veluti etiam Persis fatum inseruit. Quae res quum ideo memoratu sit digna, quod splendidam illam victoriam deorumque laudem illa fabula celebravit, haud sane vituperari possit, si rationem, qua fatum in eam induxerit, accuratius paulo considerabimus. — Asiam igitur Hellesponto ab Europa dii sejunxerant neque cuiquam Asiae regum ultra hunc finem a natura positum imperium suum proferre licuit. Quod quamvis saepe iis oraculis esset interdictum, Xerxes tamen, nimia ambitione, superbia regnandique cupiditate commotus, Hellespontum transiit Graeciaque potiri studuit. Qua re quum iram deorum magnamque culpam sibi contraxisset, ingentem illam cladem accipere eum necesse fuit, qua Graeciae deorumque laudes celebrarentur neminemque fatum effugere posse appareret. Bella igitur Persica id Aeschylo persuaserant, naturam humanam fragilem esse atque caducam nec magnam fiduciam in viribus eius collocandam. Atque hinc pendet magna ex parte tragoediae eius natura. Ubique enim deos primo loco posuit talemque iis auctoritatem attribuit, ut nunquam non luat gravissimas poenas, qui eorum voluntati nullis conditionibus astrictae qualicunque ratione adversetur. Etenim vi quadam obscura quasi abreptus crimen crimine cumulat nec prius malis gravissime urgentibus liberatur, quam fato omnino sit satisfactum. — Ex his iam patet, apud Aeschylum, quia diis plurimum tribuebat, magis extrinsecus fatum homini supervenire nec multum eius libertati esse relictum. Apud Sophoclem vero res prorsus alia est. Etenim quum eo tempore viveret, quo summa usque felicitate Graeci utebantur nec multum ab actionibus cogitationes distabant, singulorum etiam libertas melius apparuit. Quam magis respiciens actiones ad ipsius hominis voluntatem revocavit indeque eas indagavit. Quo factum est, ut fati etiam alia sit atque ab Aeschylo diversa notio. Neque enim culpa debita hominis, nec casus est, sed obscura quaedam ac dubia vis, quae in ipso animo insidet, ubique ac semper in capiendis consiliis adhaeret homini comes idque efficit, ut molesta quadam dubitatione aestuet ac sibimet ipse invitus repugnet. Quae repugnantia quum tam apte semper a Sophocle instituatur, ut spectatores tantum eam perspiciant, non solum maximam exspectationem, sed etiam miram quandam oblectationem iis afferre debuit. Hinc magna illa perfectio, quam in omnibus Sophoclis tragoediis admiramur, quasi ex fonte profecta est, neque mirum, quod cum Euripide, qui ita fatum invertebat, ut a casu maximam partem pendere videretur, in deterius tragoedia iam mutari coepta est.

In hac igitur libertatis cum fato contentione sita est summa tragoediae Graecae sententia, quae factis sive mythis ex heroica plerumque Graecorum aetate, ut postea videbimus, desumptis, illustratur. Iam igitur quaerendum est, quomodo haec facta componantur. Atque omne genus poesis ut pulchrum sit, quasi corpus ex multis partibus compositum esse debet, quarum suo quaeque munere ita fungitur, ut ne una quidem abesse possit, nisi totum inde effectum corruere velis. Tragoedia vero, quum proprie actione nitatur[1]), i. e. rebus inter se aptis et colligatis, unitas actionis res est maxime necessaria[2]). Tam perfecta tamque integra actio esse debet, ut neque desit quidquam, quod adesse opus sit, neque adsit, quod ad rem non necessario attineat. Quod si fieret, non solum effectus suis causis carentes videremus, verum etiam causas nihil prorsus efficientes. Quod quum a tragoedia utpote ita instituta, ut nihil eveniat, cuius causae antea non sint allatae, alienum esse oporteat, iam patet, magnum esse discrimen inter epicam tragicamque poesin, quarum illa singula quaeque fabulae cuiusdam aut continua narratione aut insertis episodiis exhaurire solet. Praeterea epica poesis, quippe quae singula facta enarret, magna semper simplicitate utitur, tragoedia vero, quum ipsa facta a personis in scenam prodeuntibus ita narrentur, ut actio existat, implicationem requirit, sine qua actio esset nulla. Unitas vero huius actionis implicatae in tribus potissimum rebus cernitur. Primum enim una persona requiritur, cui praecipua in actione pars obtingat, deinde unam rem omnium gravissimam adesse opus est, ad quam quasi finem reliquae omnes spectent, denique hanc ipsam actionem continuo ac necessario ad illum finem tendere oportet. Nam sicuti quodque enuntiatum unum subiectum, ita etiam vera actionis unitas unam primariam personam requirit, et sicuti duo subiecta enunciatum compositum efficiunt, ita unitas actionis tollatur necesse est, si duabus personis in fabula partes sunt praecipuae. Quod quam bene Graeci intellexerint, Aeschyli Septem Adversus Thebas optime demonstrant. In illa enim fabula unus Eteocles in scenam producitur, de Polynice vero quae dicenda sunt, narrantur, quia, si ipse adesset, dimidam fere totius actionis partem ad se transtulisset. Est vero huius personae, rem illam primariam aut perficere aut perferre talique modo totam actionem ad eum finem adducere, in quo omnes nodi antea nexi solvuntur. Atque res illa primaria, quoniam semper in fine fabulae posita est, quasi normam praebet, ad quam non solum primariae personae, verum etiam totius actionis unitatem

---

[1]) Arist. l. c. VI, 2 et VII, 2.

[2]) Arist. l. c. VIII, 4: *χρὴ οὖν, καθάπερ ἐν ταῖς ἄλλαις μιμητικαῖς ἡ μία μίμησις ἑνός ἐστιν, οὕτω καὶ τὸν μῦθον, ἐπεὶ πράξεως μίμησίς ἐστι, μιᾶς τε εἶναι, καὶ ταύτης ὅλης, καὶ τὰ μέρη συνεστάναι τῶν πραγμάτων οὕτως, ὥστε μετατιθεμένου τινὸς μέρους, ἢ ἀφαιρουμένου, διαφέρεσθαι καὶ κινεῖσθαι τὸ ὅλον· ὃ γὰρ προσὸν ἢ μὴ προσόν, μηδὲν ποιεῖ ἐπίδηλον, οὐδὲ μόριον τοῦ ὅλου ἐστί.*

exigere possis. Nam qnae in fine tragoediae non expediuntur, a tota compositione abhorrent, aut res primaria non necessario, uti fieri necesse est, ex causis antecedentibus procedit.

Ut vero actio ad rem illam perveniat talique modo, quo intendat, deducatur, uno ac perpetuo tenore eam procedere neque unquam insistere opus est. Nam si insisteret, — quod fieret insertis episodiis, quae ad rem non necessario attineant, — unitas actionis tolleretur. Idem etiam eveniret, si quid maioris momenti in tragoedia omitteretur; nihil enim unum, nisi idem integrum. Id vero integrum nominamus, quod habet initium, medium, finem[1]). Atque his tribus partibus in tragoedia prologus sive expositio, episodium sive implicatio, exodus sive solutio respondent, quarum ille singulas personas, consilia, studia curasque earum spectatoribus proponit, alterum summam primariae personae contentionem ostendit, hic denique illius contentionis tale affert momentum, ut omnia impedimenta primaria persona superet aut aliis victa succumbat.

Ad prologum igitur quod attinet, rem longe gravissimam ac dificillimam, ubique ac semper media quaedam via inter nimium et parum in ea poetae tenenda est. Nam si longior est, spectatores impediuntur, quominus cum delectatione reliquam actionem persequantur, sin astrictior, quae sequuntur, non penitus perspici poterunt. Quam ob rem ita fere instituendus est, ut ex altera parte exodus respondeat atque confirmet, quod illo leviter tantum significatur. Atque ita ab Aeschylo et Sophocle plerumque factum est. Euripides vero, quem praeter infelicem tragoediae exitum non bene cetera instituere iam Aristoteles animadvertit[2]), etiam hac in re haud raro valde peccavit. Singulis enim personis non accurate adumbratis, quo uno quasi aspectu singula quaeque perspici possint, statim ab initio in medias res spectatores rapit et quam celerrime ad finem perducere rem studet. Quam ob rem, ne tota fere expositio, quam Aeschylus et Sophocles cum admirabili quadam arte ipsi diverbio intexuerunt, desideraretur, prologos illos invenit, quibus nihil maiorem cavillandi materiam obtrectatoribus eius praebuit[3]). In his epico more totum tragoediae argumentum, ea interdum enarrantur, quae omnem ex ultimo demum capiendam voluptatem auditoribus invertant[4]). Saepe nimis verbosi sunt, quique primus in scenam prodit, solus verba facit. Quod ubi factum est, a scena recedit nec raro — ut Mercurius in Ione — per totam reliquam fabulam in eam non revertitur, ita ut nullam fere vim habeat ad actionem promovendam. Quam ob rem facete hunc morem iam Aristophones quum aliis locis, tum in Ranis derisit[5]), ubi Aeschylum facit dicentem:

---

[1]) Arist. l. c. VII. 3: ὅλον δέ ἐστι τὸ ἔχον ἀρχὴν καὶ μέσον καὶ τελευτήν κ. τ. λ.

[2]) l. c. XIII, 10.

[3]) cf. Bernhardius in Erschii et Gruberi encyclopaedia reali s. v. „Euripides“.

[4]) cf. Valckenaer: diatribe in Eurip. perd. dramat. reliquias pag. 96.

[5]) Ranae inde a versu 1213.

ποιεῖς γὰρ οὕτως, ὥστ' ἐναρμόττειν ἅπαν,
καὶ κωδάριον, καὶ ληκύθιον καὶ θυλάκιον
ἐν τοῖς ἰαμβείοισι, δείξω δ' αὐτίκα.

Deinde multis Euripidis prologorum versibus verba illa „ληκύθιον ἀπώλεσε" annectit, non quo ostendat, versibus expoliendis minorem eum diligentiam tribuisse, sed quo per imaginem significet, prologos illos ita fere eandem omnes cantilenam canere, ut mutatis nominibus alter in alterius locum apte substitui possit[1]. Inter recentiores primus Lessingius noster[2], quem postea Wielandius[3] et Bodius[4] secuti sunt, ita Euripidem defendere conatus est, ut ex his ipsis prologis maxime eum arti suae confisum esse demonstraverit. Euripidem enim ubique rerum ipsarum vi nisum, etiamsi artificiosam expositionem repudiaverit, tamen ipsa mali describendi ratione, quam miserationem ac metum proprie tragoedia excitare debeat, nunquam non effecisse. Sed hanc laudem quamvis a viro acerrimi ingenii profectam, vel ideo equidem improbaverim, quod maiorem prologi illi simplicitatem habent, quam quae a tragoedia non sit aliena.

Iam vero quaeritur, quaenam sit causa, cur plurimis eos fabulis praemiserit. Hermannus quidem propter argumentorum mutationes eos esse putat inventos, quum dicit[5]: „hinc illa necessitas prologos scribendi, quibus antiquior tragoedia facile carebat, quum quid visuri essent spectatores, notum iis esset, recentior autem carere non potuit, quia exhaustis tractandi cuiusque argumenti modis nova quaedam et a communi traditione recedentia comminiscenda erant, quae nisi ante indicata spectatoribus fuissent, non modo deceptam expectationem suam vidissent, sed saepe ne intelligere quidem, quid sibi vellent actores, potuissent." Sed quum in multis fabulis, ut in Oreste, Medea, Hecuba, Electra, Phoenissis, aliis, nihil prorsus in mytho mutatum reperiatur, haec causa non valet. Quam ob rem equidem ideo prologos illos ab eo adhibitos esse putaverim, ut etiam homines de plebe, qui ex novo Periclis instituto facilem ad theatrum aditum habebant, cum mythis vero in tragoedia tractatis aut nullam aut parvam certe familiaritatem inierant, in brevi omnia conspectu viderent, quae fabula progrediente a multitudine imperita haud facile perspici poterant[6].

Sed iam sentio, in Euripidis prologis examinandis me longiorem fuisse, quam res proposita postulat. Quam ob rem iam ad alteram fabulae partem, implicationem, pergamus, quam Aristoteles, expositione

---

[1]) cf. Ellendt: de tragicis Graecis imprimis Euripide ex ipsorum aetate et temporibus iudicandis aequaliumque iudiciis (progr. gymn. Regiom 1827).

[2]) cf. dramat. Hamburgensis I, 48 sqq.

[3]) in „musaeo attico" II, 2, 77.

[4]) hist. art. Graec. dram. I, pag. 464.

[5]) cf. ejus praef. ad Soph Elect. pag. X.

[6]) cf. Firnhaber: „Ueber den Prolog der griech. Tragödie" in Jahns Jahrb. für Philol. Suppl., B. XVII, pag. 592.

annumerata, eam partem nominat, quae est a tragoediae initio usque eo, ubi transitio fit ad adversam vel ad secundam fortunam[1]. Quam quidem transitionem quum nec subito nec temerarie, sed sensim et cum verisimilitudine fieri necesse sit[2], ita ut uno loco apte omnia coniungantur, quae antea sparsa erant atque disiecta, id iam patet, hanc partem esse solutione multo latiorem, quippe quae earum omnium rerum, quae postea evenient, causas afferre debeat. Non omnia vero, quae ad nodum nectendum pertinent, in ipsa actione locum habent. Multa enim, quae extra fabulam sunt vel antea acciderunt, in tragoedia tantum significantur aut a numine quodam, uti in Ajace Sophoclis a Minerva factum videmus, spectatoribus aperiuntur[3]. Propria quadam eaque maxime artificiosa implicatione Sophocles utitur. Ita enim instituere eam solet, ut spectatores paulatim perspiciant, quid eventurum sit, agentibus vero personis ad summum usque rerum discrimen omnia lateant crassis occultata et circumfusa tenebris. Talem implicationem maxime in Oedipo rege admiramur, quae quidem Hermanno iudice omnium tragoediarum, quae ad nostram aetatem pervenerunt, quod ad fabulae constitutionem et eam, quae hinc oritur, vim attinet, longe est praestantissima[4]. — Minimam eamque omni fere arte carentem implicationem apud Aeschylum invenimus, quippe qui ad epicum morem propius accedens, simplici modo singula quaeque inter sese coniungat. Etiam chori cantica, quum magnum semper spatium impleant, accuratam implicationem saepe apud eum impediunt nec raro efficiunt, ut actio quodammodo subsistat. Tale quid in Persis, tale quid etiam in Agamemnone, perfectissima eius fabula factum est. Singula enim facta epico magis quam dramatico more alia alia subsequuntur[5]. Maiorem hac in re laudem Euripides sibi comparavit.

Ad solutionem denique quod attinet, quae incipit, ubi nodus est nexus[6], omnino priori tragoediae parti respondere eam necesse est neque quidquam in ea afferendum, quod ex illa non pendeat ac necessario procedat. Inde efficitur, ut spectatores ea omnia perspiciant, quae cur fierent, antea non intelligebant, et magnam inde voluptatem percipiant. Quae quum exsistere nequeat, nisi occulta antea et quasi involuta aperiuntur, id iam patet, non solum eas res, quibus quid sibi velint, aperte indicatur, verum etiam obscuriores nec raro tales, quae prorsus aliae sunt, atque primo obtutu esse videbantur, *καταστροφὴν*

---

[1]) Arist. poet. XVIII, 10: *λέγω δὲ δέσιν μὲν εἶναι τὴν ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τούτου τοῦ μέρους, ὃ ἔσχατόν ἐστιν, ἐξ οὗ μεταβαίνει εἰς δυστυχίαν ἢ εἰς εὐτυχίαν.*

[2]) ibid. XV, 6 et IX, 1—6.

[3]) Arist. l. c. XVIII, 13.

[4]) cf. Herm. in adnot. ad poet. Arist. XIII, 5.

[5]) cf. Bernhardy in Lit. Graec. II, 2, pag. 240.

[6]) Arist. l. c. XVIII, 10: *λύσιν δὲ* (sc. *λέγω εἶναι*) *τὴν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τῆς μεταβάσεως μέχρι τέλους.*

quam Graeci appellant, in tragoedia apte efficere posse. Atque re vera optimam quamque tragoediam tales res, quas *περιπετειῶν* nomine Aristoteles comprehendit[1], requirere, vel inde apparet, quod implicatas fabulas, quae ipso hoc inopinato casu *(περιπετείᾳ)* atque cognitione efficiuntur[2], simplicibus longe praestare contendit[3]. Optimum ex hoc fabularum genere exemplum est Sophoclis Oedipus rex. Nam qui laetum ei attulit nuntium, Polybum atque Meropen non esse eius parentes, quo magno timore liberari videbatur, vel invitus hoc ipso nuntio effecit, ut Oedipus intelligeret, se patrem suum necasse matremque in matrimonium duxisse.

In hac solutione maximum inter epicam tragicamque poesin situm est discrimen. Carmen enim epicum, utpote quod nihil nisi res externas nobis ostendit, etiam modo magis externo, i. e. miraculis aut rebus, quibus nihil cum antecedentibus commune est, ad finem optime perduci potest. Aliter res in tragoedia se habet. In qua quum tam arcte singula quaeque inter sese cohaerere debeant, ut ex aliis alia apte et necessario consequantur, nihil in fine ponendum, quod non modo idoneo expositione atque implicatione nitatur. Ipse inopinatus ille casus *(περιπέτεια)*, quo subito fortuna secunda in adversam aut adversa in secundam convertitur, ita ex tota actione personisque pendeat necesse est, ut ab ipsis quamvis invitis arcessitum eum esse appareat[4]. Sed hac in re saepe ab Euripide, ab aliis tragicis rarius peccatum est. Non raro enim tam est inepta expositio, tam confusa implicatio, ut nisi vi adhibita nodus a poeta solvi nequeat. Quo factum est, ut iusto saepius deum illum ex machina apud eum inveniamus, quem a fine tragoediae alienum nec nisi in iis adhibendum esse iam Aristoteles docuit, quae extra fabulam sint, ita ut sine praedictione aut narratione intelligi vix queant[5].

Sed haec de unitate actionis tragicae eiusque compositione, quam ex tribus potissimum partibus constare vidimus. Cum his cohaerent

---

[1]) poet. XI, 1: *ἔστι δὲ περιπέτεια μὲν ἡ εἰς τὸ ἐναντίον τῶν πραττομένων μεταβολή.*

[2]) ibid. X, 5: *πεπλεγμένην δὲ* (sc. *πρᾶξιν λέγω*) *ἐξ ἧς μετὰ ἀναγνωρίσεως ἢ περιπετείας, ἢ ἀμφοῖν ἡ μετάβασίς ἐστι.*

[3]) ibid. XIII, 2.

[4]) Arist. l. c. X, 6 de implicata actione, quae *ἀναγνωρίσει καὶ περιπετείᾳ* efficiatur, dicens haec addit: *ταῦτα δὲ δεῖ γενέσθαι ἐξ αὐτῆς τῆς συστάσεως τοῦ μύθου, ὥστε ἐκ τῶν προγεγενημένων συμβαίνειν ἢ ἐξ ἀνάγκης ἢ κατὰ τὸ εἰκὸς γίγνεσθαι ταῦτα.*

[5]) l. c. XVIII, 12: *φανερὸν οὖν ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν, καὶ μὴ, ὥσπερ ἐν τῇ Μηδείᾳ, ἀπὸ μηχανῆς. Ἀλλὰ μηχανῇ χρηστέον ἐπὶ τὰ ἔξω τοῦ δράματος, ἢ ὅσα πρὸ τοῦ γέγονεν, ὃ οὐχ οἷόν τε ἀνθρώπων εἰδέναι, ἢ ὅσα ὕστερον, ἃ δεῖται προαγορεύσεως καὶ ἀγγελίας.* cf. etiam Plat. Crat. 36. Polyb. III, 48, 8. Hor. art. poet. v. 191.

quini actus, in quos post Grammaticos Alexandrinos Romani dividebant fabulas. Nam quamvis Graeci tres tantum fabulae partes constituerint, quarum unum prologum, alterum episodium, tertium exodum nominabant, tamen reapse ad idem divisio redit, quia ipsum episodium tripartito plerumque dividi potest[1]). Sed etiam ternos actus, qui tribus tragoediae Graecae partibus ab Aristotele constitutis magis accomodati sunt, apud Romanos in usu fuisse, haec Ciceronis ad Quintum fratrem confirmare videntur: „hortor, ut tamquam poetae boni et actores industrii solent, sic tu extrema parte et conclusione muneris ac negotii tui diligentissimus sis, ut hic tertius annus imperii tui tamquam tertius actus perfectissimus atque ornatissimus videatur.“ Sed si actibus, quos Romani nominabant, in tragoedia Graeca locum concedere volumus, admodum cavendum est, ne tralaticiam cum iis notionem conjungamus. Nam qui apud Romanos intermittenda actione scenaque velanda actus significabantur et apud nos hodie quoque significantur, a tragoedia Graeca prorsus erant alieni, quippe quum chorus semper in scena remaneret ac singula quaeque actionis intervalla cantu, qui arcte cum ipsa actione cohaerebat, explere soleret. Inde factum est, ut nunquam scena velaretur, nunquam actio prorsus subsisteret. Quam ob rem etiam actus in tragoedia Graeca nihil significant nisi intervalla, quibus actores e scena recesserant chorusque cantica sua edebat.

Praeter unitatem actionis, de qua paulo antea fusius disputavimus, temporis etiam ac loci unitate Graeci plerumque usi sunt. Atque haec quidem in tragoedia Graeca paene necessaria fuit. Nam scena si esset mutata, chorus, quamquam ab ea nunquam recedebat, in alium tamen locum venisset, quod tam absurdum tamque ineptum tragicis, qui maximae semper verisimilitudini operam dabant, esse videbatur, ut fere nunquam hac in re peccaverint. Idem vero chorus etiam unitatem quandam temporis effecit. Actio enim continuo processit indeque aliqua saltem extitit verisimilitudo, res in tragoedia tractatas eodem fere temporis spatio re vera fieri potuisse, quo in tragoedia factae esse finguntur. Quae verisimilitudo quamvis raro ad veritatem historicam accederet, quum etiam ad perfectissimam fabulam agendam tres summum horae requirerentur, id tamen effecit, ut res tantum gravissimae, quae uno fere die fieri poterant, in tragoediam reciperentur. Aeschylus vero, qui haud ita procul abest ab epicis poetis, magnum saepe temporis spatium — uti in Agamemnone — tribus illis horis praeterire fingit.

Ex his elucet, unitatem loci multo unitate temporis in tragoedia Graeca esse maiorem atque ita tota scenae Graecorum niti institutione, ut ultro fere poetis tragicis sese offerret. Unde factum est, ut etiam recentior comoedia, quamquam choro iam carebat, tamen hanc unitatem, qua Graeci assueverant, retineret neque quidquam Aristoteles de ea doceret, quia aliter rem sese habere non posse putabat. Ad unitatem vero temporis quod attinet, uno solis circuitu fabulam absolvendam esse

---

[1]) cf. Orellii adnot. ad Hor. art. poet. v. 189.

iudicavit[1]), unde elucere videtur, hunc modum praeter Aeschylum alios etiam poetas excessisse. Quibus temporis locique unitatibus, quas magnam in tragoedia Graeca vim habuisse constat, recentiorum poema dramaticum, praesertim quum chorus ei desit, rarius nec nisi ubi ad actionis unitatem tuendam omnino necessariae sunt, uti potest. Mira enim veterum ars, qua ad res tantum gravissimas omnia dirigunt, a recentioribus prorsus fere aliena est. Accedit, quod apud Graecos, quorum vita non tam privata quam publica erat, tota scena loco publico apte constitui talique modo unitas loci optime effici potuit. Hodierni vero mores quum longe alii sint, hanc veterum rationem plerumque repudiant. Quae quum ita sint, iam patet, minime esse laudandos Franco-Gallos, qui nimio atque inepto unitatis temporis studio, unitatem actionis, cui recte plurimum semper Graeci tribuebant, saepe neglexerunt et in ipsa loci unitate tuenda, quamquam chorum non retinuerunt, tamen anxie veterum rationem suam facere volebant. Sed haec hactenus. — Jam nunc etiam de agentibus in tragoedia personis pauca dicenda sunt. Hic igitur prima tragoediae Graecae lex est, ut omnes personae honestatem quandam prae se ferant. Quam quidem non eandem apud omnes esse posse, id vel inde apparet, quod, si esset, contentio inter singulas, quam necessario tragoedia requirit, vix exsistere posset. Sed omnes, etiam minus perfectae, ut Atridae in Aiace, Creon in Antigona, Odysseus in Philocteta Sophoclis, ita ornatae sunt, ut, quod sibi proposuerant, haud iniuste constanter urgere videantur; omnes in suo genere singularem quandam summae perfectionis imaginem repraesentant. Hinc profectum est praeceptum illud Aristotelis, ut poeta tragicus simili modo atque pictor non solum similitudinem sectetur, sed etiam ad id tendat, quod quoque in genere summum sit, ita quidem, ut, si iracundos, si lenes imitetur, id exhibeat, quod in iracundia, quod in lenitate summum sit. Est vero non hoc summum, irae impotentem esse aut mollem atque effeminatum, sed, quoniam meliores tragoedia imitatur, ita iracundum ac lenem, ut ob has ipsas causas quam potest maxime sublimis sit[2]). Quos vero mores poeta initio fabulae personis dedit, ab iis nunquam ei recedendum, sed ad finem usque fabulae elaborandum est, ut apte, verisimiliter, continuo omnia inde repetantur[3]). Idem etiam Horatius his verbis bene expressit:

---

[1]) l. c. V, 8: *ἔτι δὲ τῷ μήκει (sc. ἡ τραγῳδία τῆς ἐποποιίας διαφέρει) ἡ μὲν γὰρ ὅτι μάλιστα πειρᾶται ὑπὸ μίαν περίοδον ἡλίου εἶναι, ἢ μικρὸν ἐξαλλάττειν.*

[2]) l. c. XV, II: *ἐπεὶ δὲ μίμησίς ἐστιν ἡ τραγῳδία βελτιόνων, ἡμᾶς μιμεῖσθαι τοὺς ἀγαθοὺς εἰκονογράφους· καὶ γὰρ ἐκεῖνοι ἀποδιδόντες τὴν οἰκείαν μορφήν, ὁμοίους ποιοῦντες, καλλίους γράφουσιν· οὕτω καὶ τὸν ποιητὴν μιμούμενον καὶ ὀργίλους καὶ ῥαθύμους, καὶ τ' ἄλλα τὰ τοιαῦτα ἔχοντας ἐπὶ τῶν ἠθῶν, ἐπιεικείας ποιεῖν παράδειγμα ἢ σκληρότητος δεῖ· οἷον Ἀχιλλέα Ἀγάθων καὶ Ὅμηρος.*

[3]) cf. Arist. l. c. XV, 1—7.

„Aut famam sequere aut sibi convenientia finge.
Scriptor honoratum si forte reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer
Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox, invictaque, flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Jo vaga, tristis Orestes.
Si quid inexpertum scenae committis et audes
Personam formare novam, servetur ad imum
Qualis ab incepto processerit et sibi constet.“[1])

Tales igitur mores esse oportet, ut singulis personis, aetati, sexui, vitae generi totique earum conditioni conveniant[2]). Deinde mores per totam fabulam sibi constare debent, ita quidem, ut prima quasi personarum lineamenta ubique appareant, et si persona quaedam ita fert, ipsa inconstantia constans esse videatur[3]). Sicuti vero in compositione, ita etiam in moribus depingendis verisimilitudinis necessitatisve lex nunquam poetae negligenda est, sed si quis certis quibusdam moribus fingitur praeditus esse, curandum, ut is ea ubique faciat dicatve, quae ut fiant vel dicantur isti mores postulant[4]).

Aeschyli igitur maximeque Sophoclis personae earumque mores tales ubique sunt, quales optima quaeque tragoedia ex Aristotelis sententia supra exposita desiderat. Omnes in suo genere perfectae a fabulae initio usque ad finem propriam suam naturam retinent totamque eius oeconomiam apte constituunt, omnes solidam quandam et expressam effigiem repraesentant. Aeschylus quidem, qua erat indomita ingenii magnitudine, tantam saepe animi altitudinem personis suis impressit, tam graves tamque magnificas virtutis imagines veteres heroes descripsit, ut humanam naturam haud raro excedere videantur. Sophocles vero, divino paene ingenio praeditus, quamquam non tam alte evolat, quam Aeschylus, tamen viros praecipuos, Theseum, Haemonem, Neoptolemum sensu quodam generosiore nobilitavit non minus alieno a superba virium fiducia, quam ab avaro commodi sui quaerendi studio. Ad communis et vitae quotidianae turpitudinem nunquam Sophocles descendit. Inprimis feminarum, teneri sensus plenissimarum descriptio fabulis eius dulce quiddam instillat et suaviter deliniens. Quamquam enim, quem nostro sensu amorem vocamus, neque apud Sophoclem, neque apud

---

[1]) in arte poet. vv. 119—127.

[2]) Arist. l. c. XV, 4: *δεύτερον δὲ τὰ ἁρμόττοντα· ἔστι γὰρ ἀνδρεῖον μέν τι ἦθος, ἀλλ' οὐχ ἁρμόττον γυναικὶ τὸ ἀνδρείαν ἢ δεινὴν εἶναι.*

[3]) Arist. l. c. XV, 6: *τέταρτον δὲ τὸ ὁμαλόν· κ' ἂν γὰρ ἀνώμαλός τις ᾖ ὁ τὴν μίμησιν παρέχων τοιοῦτος τὸ ἦθος ὑποτεθείς, ὅμως ὁμαλῶς ἀνώμαλον δεῖ εἶναι.*

[4]) Arist. l. c. XV, 10: *χρὴ δὲ καὶ ἐν τοῖς ἤθεσιν, ὥσπερ καὶ ἐν τῇ τῶν πραγμάτων συστάσει, ἀεὶ ζητεῖν ἢ τὸ ἀναγκαῖον, ἢ τὸ εἰκός, ὥστε τὸν τοιοῦτον τὰ τοιαῦτα λέγειν ἢ πράττειν, ᾖ ἀναγκαῖον ἢ εἰκός· καὶ τοῦτο μετὰ τοῦτο γίγνεσθαι, ᾖ ἀναγκαῖον ἢ εἰκός.*

ullum veterum poetarum suis coloribus adumbrari cernimus, tamen cum Deianira et Tecmessa tenerrimum erga coniugem et liberos sensum prae se ferant, in Antigona etiam is ferme amantium animus est eaeque rationes intercedunt, quales solent apud populos sociali vinculo cultiores redditos. Euripides vero in personarum moribus describendis longe aliam eamque ab Aristotelis praeceptis diversam rationem secutus est. Veteres enim Graeciae heroes tales effinxit, quales aetati suae, pravo sensu veluti speculo utenti, videbantur fuisse; altiore eos mente fere nunquam ornavit. Quod iam a veteribus esse animadversum, Sophoclis illud, ipsum quidem homines pingere, quales eos esse oporteat, Euripidem vero, quales sint, optime demonstrat[1]). Idem Euripidis tragoediae vitium multis locis Aristophanis Ranarum, magnificentissimi sensus fabulae, saepe perstringitur. Maxime vero eo veteres offendebantur, quod amorum parum saepe honestorum descriptionem non solum fabulis suis intexuit, sed totas etiam inde duxit et composuit. Tales fuere Auge, Sthenoboea, Melanippa, aliae. Imo adeo decoris oblitus est, ut etiam partus in templis factos incestumque in scenam produxerit[2]). Sed magis quam in effingendis personis ac moribus idem Euripides in deligendis personis peccavit, quippe qui praeter deos et heroes etiam ultimae sortis homines, quales apud Aeschylum et Sophoclem nunquam inveniuntur, actioni ordinandae immiscuerit, imo servis et famulis magnam rei gerendae partem tribuerit. Quod res saepe maxime ridiculas genuisse, ex multis tragoediarum eius locis luculenter apparet[3]). Sed omnia haec peccata aliquam excusationem habent ex temporis, quo ille vixit, ratione profectam, quam accuratius exponere non est huius loci. Id quidem ex iis, quae hucusque disputavimus, satis elucet, tragoediae Graecae personas apud optimos in hoc genere poesis poetas ita fere semper esse descriptas, ut singulae omnibus numeris suis perfectae sint atque absolutae. Ipsa actio tragoediae Graecae ita saepe instituta est, ut non sensu, sed mente tantummodo cerni possit, nec raro personae in scenam prodeuntes, uti *κράτος* et *βία* in Prometheo Aeschyleo, nihil nisi cogitationem quandam significant, quae ipsa aspici non potest. In recentiorum tragoedia nihil fere huiusmodi invenitur. Quae quum id spectet, ut spectatorum sensus decipiat, plerumque res ex vita quotidiana desumptas iis proponit.

Quae hucusque disputavimus, ad diverbium maximam partem pertinent. Cum hoc in tragoedia Graeca arctissime cohaeret chorus, de quo nunc pauca nobis dicenda sunt. Iam commentationis nostrae initio

---

[1]) Arist. l. c. XXVI, 10: *οἷον καὶ Σοφοκλῆς ἔφη, αὐτὸς μὲν οἵους δεῖ ποιεῖν, Ἐυριπίδην δὲ οἷοί εἰσι.*

[2]) cf. Valckenaer: diatribe in Eurip. perd. dramat. reliq. XVI, pag. 169 et XIV, pag. 159 sqq. — Aristoph. Ran. v. 1089 sqq. ibique Schol.

[3]) cf. Orest. v. 1363, Alcest. v. 566 et in eadem fabula v. 764, ubi servus Theseum, heroem cuiusvis virtutis principem, qualem ceteri ad unum omnes poetae finxerunt, non dubitat, admodum honorifico furis nomine appellare.

vidimus, a choris in Bacchi honorem cani solitis totam esse tragoediam profectam. Quam ob rem quum etiam posteriore tempore semper Bacchi festis tragoedia ageretur iisque celebrandis inserviret, etiam chorus, vetere usu quasi sancitus, utpote quo proprie actio religiosa nitebatur, semper in tragoedia remansit et quas primo obtinuerat partes primarias, sensim tantum ac pedetentim diverbio concessit. Quem artis dramaticae progressum in iis, quae adhuc supersunt fabulis, tam bene persequi licet, ut ipsas singulas Aeschyli tragoedias hac in re valde inter sese differre negari non queat. In Supplicibus enim ac Persis, quae vulgo antiquiores inter fabulas Aeschyleas habentur, dimidiam fere totius fabulae partem cantica chori sibi vindicant, in iis contra, quas posteriore tempore doctas esse constat, non solum breviora sunt, sed multo etiam rarius nobis occurunt. Hinc eam paulatim amplitudinem actio sibi vindicavit, quae iure ei debetur. Neque vero apud Sophoclem et Euripidem res aliter se habet, quippe quum singulae eorum fabulae, quo posteriore tempore sunt actae, eo pauciora ac breviora cantica chori contineant. Hinc patet, ipsos poetas id sibi persuasum habuisse, tragoediae bene excolendae chorum officere neque dubitaturos fuisse, prorsus eum rejicere, nisi religiosi populi de eo opinio iis obstitisset. Ac profecto tantum abest, ut propria tragoediae natura eum desideret, ut non nisi conditione fortuita ei adhaereat. Eo magis vero admiranda est ars paene divina, qua ita eum poetae tragici adhibuerunt, ut fere necessaria tragoediae pars esse videatur et ad nostrum usque tempus summum eius ornamentum esse appareat. Quae quum ita sint, operam et oleum perdere videntur ii, qui argumentis anxie quaesitis nobis persuadere conantur, sine choro tragoediam Graecam omnino nullam esse potuisse. Multo vero ineptius ii faciunt, qui, decepti effectu tragoediae Graecae, in eam quoque, quae hodierno tempore floret tragoediam eum recipere volunt. Neque enim ulla est necessitas, qua, ut tragici Graeci nostri poetae uti eo cogantur, nec eae apud nos inveniuntur conditiones, quibus illi sapienter usi ad summam eum perfectionem adducere potuerunt.

Antiquissimis igitur temporibus Bacchi laudibus celebrandis chorus inserviebat. Quo munere quum ad fabulas ex heroica Graecorum aetate desumptas tragoedia tractandas transiisset, fungi non jam potuit. Nam ne prorsus a tragoedia alienus esse videretur, illius argumento sese accommodare eum oportebat. Ipsae etiam personae, ex quibus chorus constabat, tales esse debebant, ut apte cum fabula conjungi possent. Atque hac in re vita in scena producenda magno poetae adiumento erat. Nam quum vita Graecorum maximam partem publica esset quumque sub divo omnia agerentur, toti etiam tragoediae actioni cum magna veritatis specie nonnullae populi personae interesse potuerunt. Unde fit, ut in plerisque tragoediis, quae quidem adhuc supersunt, ex iis chorus constet personis, quae eo forte adsunt loco, in quo scena constituta est, nec nisi raro inveniantur, quae, ut in Eumenidibus Supplicibusque Aeschyli Euripidisque eiusdem nominis fabula in ipsa actione partem habeant.

Iam vero ad argumentum chori quod attinet, pro cuiusque poetae ingenio id varium erat. Apud Aeschylum et Sophoclem cum actione semper quapiam ratione cohaeret. Ita enim chorus inducitur, ut, quotiescunque ad partem gravioris momenti actio pervenit, ad ea, quae proxime antecesserunt, respiciat aut secutura cum divinatione quadam indicet. Atque quoniam ex hymnis in deorum maximeque Bacchi honorem decantatis prodierat, semper fere pietatis sensu imbutus deosque religiose colens inducitur. Praeterea populi ipsius personam gerit eiusque vices sustinet, ita quidem, ut communem animorum consensum exprimat, quod, ut bene Schlegelius animadvertit [1], externo iam chori statu in centro totius aedificii significabatur. Omnium rerum, quae in scena geruntur, socius est amicissimus. Quam ob rem laetatur, quum personis fabulae res bene, et contristatur, quum male cadant. Etiam facta earum diiudicat, ita quidem, ut aut laudet ea aut reprehendat. Neque vero vocem et iudicia populi quasi turbae infirmae cupiditatibusque obnoxiae refert, sed cogitata et sensa universi quasi generis humani et idealis, ut ita dicam, spectatoris partes sustinet, qui sine ira ac studio ex summa, qua honestatem consideramus, lege omnia contemplatur summamque tragoediae sententiam mente firmiter continens, singula quaeque ad eam refert et honestatis rationem, quotiescunque rebus in scena gestis vel eorum, qui agunt, cupiditatibus obscuratur, illustrat eandemque tuetur. Atque quoniam summa fabulae sententia poetae mente concepta est, chorus etiam poetae ipsius, qui universi generis humani sensuum est interpres, personam gerere putari potest. Chorus igitur singula quaevis ad universa refert et meditationem, quae singulis spectatoribus permissa saepe obscura, manca et prava esset, veritati consentientem et ab omni errore liberam poetica quadam et vivida ratione cum ipsa actione coniungit. Itaque de omnibus rebus gravioribus meditatur et quae ex singulis hominum actionibus utilia sint universae vitae, proponit. Inde etiam si quid forte difficilius intellectu est in loquentium sermone, clariorem lucem affert, omnia obscura illustrat, occulta aperit et ambigua aenigmatique similia solvit. Tali modo efficit, ut tota tragoedia, quod ad summam eius sententiam et finem attinet, ab omnibus spectatoribus intelligatur et omnes ex ea non solum voluptatem, sed veram etiam utilitatem capiant. Ita chori carminibus etiam philosophia cum poesi arctissime coniungitur, quod in nullo alio artis operum genere tam bene fieri potest. Atque quum ipsi actioni chorus non sit implicatus [2], natura eius tranquillitate, moderatione et animo ab omnium partium studio alieno est insignis. Quae tranquillitas et temperantia similem animum etiam personis in scena agentibus tribuit idque efficit, ut vehementissimis etiam cupiditatum procellis agitatae, eam ubique animi dignitatem retineant, qua nulla verae tragoediae persona, ne improbissima quidem, carere potest.

---

[1]) cf. Schlegelii prolegom. de arte Graec. dram. I, pag. 98.

[2]) Arist. probl. XIX, 48: *κηδευτὴς ἄπρακτος ἔννοιαν μόνον παρέχεται* (sc. *ὁ χορὸς*) *οἷς πάρεστιν.*

Quod hucusque de chori natura fusius disputavimus, idem iam ab Horatio recte in universum his verbis comprehensum est:

„Actoris partes chorus officiumque virile
Defendat, neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat et haereat apte.
Ille bonis faveatque et consilietur amice
Et regat iratos et amet pacare timentes;
Ille dapes laudet mensae brevis ille salubrem
Iustitiam legesque et apertis otia portis,
Ille tegat commissa deosque precetur et oret,
Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.“

Sed etiam de externa chori tragoediae Graecae forma pauca mihi dicenda esse videntur. Atque ad numerum personarum quod attinet, ex quibus constabat, tam variae sunt tamque discrepantes de ea re virorum doctorum sententiae, ut vix certi quidquam affirmare liceat. Verisimillimum tamen esse mihi videtur, plerumque quindecim personas eum habuisse[2]. Nam praeterquam quod hic numerus de Aeschyli Agamemnone scholiastae auctoritate confirmatur, etiam in Eumenidibus eiusdem poetae, quarum chorus ex quinquaginta personis constitisse narratur[3], personarum numerus non maior fuisse videtur. Duo enim in illa fabula cantica chori inveniuntur, in quibus singulis personis singuli versus canendi sunt, et utroque loco, si recte distinxeris, quindecim versus efficiuntur. Etiam in Sophoclis Oedipo Coloneo Euripidisque Supplicibus similis locus invenitur, unde elucet, illum numerum fuisse usitatissimum[4]. Quodsi ita fabula instituta erat, ut maior numerus requireretur, quindecim illis personis aliae eaeque mutae addebantur. Tale quid in Danaidibus Aeschyli multisque aliis trium tragoediae Graecae principum fabulis est factum. — Universo choro tali modo instituto dux praeerat, qui eum duceret cantusque praeiret. Cui id etiam munus datum erat, ut, si choro cum histrionibus erat agendum, cum iis iambicis trimetris vel trochaicis tetrametris, et oratione solenniore facta, etiam anapaestis colloqueretur. Unde fit, ut personae scenicae chorum modo tamquam unius hominis, modo multorum personam nunc numero singulari, nunc plurali alloquantur. Interdum chorus in duas partes discessit, quarum utraque *ἡμιχόριον*, ambae *διχορία*, cantus vero hoc modo institutus *ἀντιχορία* appellabatur. Faciem in scenam chorus habebat conversam et etiam quum otiosus adstaret, artificiosa et grata collocatione erat dispositus.

Utrum chori personae singulae, an una omnes prodirent, id a fabulae diversitate pendebat. In Antigona Sophoclis chorus initio statim una adest congregatus, in aliis contra tragoediis singulae personae

---

[1]) Hor. ars poet. v. 193 sqq.

[2]) cf. Schol ad Aristoph. Eq. v. 586, ad Av. v. 298 et ad Aesch. Eum. v. 585.

[3]) cf. Pollux: onom. IV, 110.

[4]) cf. Wellauer: „Ueber den Chor im griech. Drama“, quae comment. invenitur in Jahns Jahrb. für Philol. und Pädag. Suppl. X, pag. 450 ff.

adveniunt. Chorus vero simulac scenam semel ingressus est, per totam fabulam non amplius eam reliquit. Apud Sophoclem in Ajace tantum et Antigona in scena recessit, unde elucere videtur, ne hunc quidem chori discessum, illis locis paene necessarium, bene a spectatoribus fuisse acceptum In Euripidis tragoediis saepius chorus abit. In illis vero facilius hoc fieri potuit, quia propriam suam vim et naturam chorus iam exuerat et cum actione minus arcte erat coniunctus.

Artificiosissimus erat status chori et admodum variae et diversae eius conversiones, motus et modi saltandi cum cantu coniuncti. Plerumque per *στοίχους* (ordines) et *ζυγά* (juga) chori personae erant distinctae, et quidem per ordines, quum quini, per iuga, quum terni procederent[1]). Prima chori ingressio in orchestram, quae a latere fiebat, *πάροδος* appellabatur, discessus *μετάστασις*, reditus *ἐπιπάροδος*. Etiam primus totius chori cantus parodi nomen habebat[2]). Quum vero chorus locum suum occupasset, cantus eius, qui rhythmorum aequalitate insignis sine interruptione continuatus est, stasimum erat[3]).

Haec duo chori genera antistrophici erant, i. e. primum cantum, stropha appellatum, alter eodem rhythmorum numero compositus, cui antistrophae nomen erat, sequebatur. Quas partes, si longiores sunt, aliud canticum, epodus dictum, sequi solet. Ab his duobus chori generibus principibus diversa sunt cantica, quae *κομμοί* aut *τὰ ἀπὸ τῆς σκηνῆς* nominantur. Quae aut a singulis chori personis, aut invicem ab his et iis, qui in scena apparebant, aut denique ab his solis cani solita tantum saepe cupiditatum ardorem produnt, qui legem antistrophicam omnino repudiet. Si vero — quod item fit — antistrophae inveniuntur, non statim strophas semper illae sequuntur, sed implicationes perquam variae occurrunt, ita tamen semper institutae, ut mira quaedam singularum partium convenientia ubique fere appareat. Qua in re tantam curam tantamque diligentiam poetae tragici adhibuerunt, ut interdum ipse singulorum verborum sonus ac collocatio talem strophae atque antistrophae convenientiam prodant nec raro aperte demonstrent. Atque si in stropha persona forte mutata est, etiam in antistropha eodem loco in eademque versus parte alia plerumque procedit. Quae incredibilis ac minuta saepe subtilitas etiam legi illi a Lachmanno statutae aliquam affert probabilitatem, qui ita omnia chori cantica vult esse instituta, ut ex septem vel tot versibus constitisse singula videantur, quot illum numerum accurate contineant[4]).

---

[1]) Pollux onom. IV, 108 et Phot. bibl. pag. 54, 17 et 604, 19.

[2]) cf. Arist. poet. XII, 7—9.

[3]) Schol. ad Aristoph. Ran. dicit: *στάσιμον, ὃ ᾄδουσιν ἱστάμενοι οἱ χορευταί.* cf. etiam, quae Hermannus ad locum Favorini adnotat in animadvers. ad Arist. poet. pag. 148.

[4]) cf. viri illius docti comment.: „de choricis systematis trag. Graec.“ et altera: „de mensura tragoediarum“, quarum illa a. 1819, haec a. 1822 Berolini prodiit.

Iam vero ut id quoque breviter attingam, quomodo tres illi tragoediae Graecae principes chorum tractaverint, apud Aeschylum, qui ad id tempus, quo ex Bacchicis choris tragoedia emerserat, propius accedit, quamquam Aristotele teste eum imminuit[1]), magnum tamen spatium plerumque sibi vindicat. Apud hunc poetam chorus non fabulae causa in tragoedia videtur esse invecta, sed fabula chori causa. Quod Hermannus ad Arist. poet. pag. 269 Eumenidum exemplo optime comprobavit.

Euripidis chori cantica pulcherrima saepe esse, minime negari potest, sed cum fabula plerumque parum, interdum plane non cohaerent, ita ut sine ullo detrimento ex alia in aliam tragoediam ea transferre liceat plurimaque per se etiam, a fabula omnino seiuncta legi intelligique queant. Plerumque enim continent vel hymnos in honorem deorum, vel philosophicam quandam sententiam explanant, quae nihil ad rem faciunt[2]).

Ad Sophoclis denique chorum quod attinet, de eo accuratius hic loqui supervacaneum esse puto, quippe quum de illo ea fere omnia dicenda sint, quae supra de choro in universum disputavimus. Id unum dumtaxat afferre liceat, ita cum actione Sophoclem eum coniunxisse, ut pars sit totius serviatque fabulae expediendae, et quamvis excelso loco positus, non minus tamen liber sit ab errore, quam Iupiter Homericus a fato et insidiantis dolo Iunonis. Atque maxima arte et certa quadam lege in eo Sophoclem esse usum, id vel inde apparet, quod peculiarem eum libellum de choro scripsisse veterum testimoniis satis constat[3]). Nullum fere in huius poetae canticis eorum vitiorum occurrit, quae in reliquorum tragicorum saepe deprehenduntur, sed eam singula perfectionem habent, quae hodiernis etiam lectoribus mirum quantum voluptatis parare debeat. Sed haec hactenus.

Iam nunc, quia de dialogo atque choro, praecipuis tragoediae Graecae partibus earumque natura satis mihi multa verba fecisse videor, etiam de sermone reque metrica pauca dicenda sunt, quippe ex quibus mea quidem sententia multa pendeant, quibus propria eius natura nitatur. Ne quis tamen putet, quaeso, fore, ut tam accurate hac de re a me disputetur, quam pro rei gravitate necessarium esse forsan videatur. Res enim maiorem lectionis multitudinem et varietatem, maiorem doctrinae copiam desiderat, quam quae vires meas exiguas non excedat. Quapropter res tantum gravissimas talique modo institutas, ut etiam lectorem minore doctrinae copia praeditum non effugiant, paucis hic attingere liceat.

---

[1]) Arist. poet. IV, 16: *Αἰσχύλος πρῶτος τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσε καὶ τὸν λόγον πρωταγωνιστὴν παρεσκεύασεν.*

[2]) de choro Eurip. Arist. in poet. XVIII, 21 dicit: *καὶ τὸν χορὸν δὲ δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου, καὶ συναγωνίζεσθαι, μὴ ὥσπερ Εὐριπίδης, ἀλλ' ὥσπερ Σοφοκλῆς.* cf. etiam Schol ad Aristoph. Achar. v. 442.

[3]) cf. Suid. s. v. *Σοφοκλῆς* et Lessingii vita Soph. (op. tom. V, pag. 263—264).

Constat igitur, tragoediam Graecam ex duobus poesis generibus, epico atque lyrico, aeque fere mixtum esse atque compositum. Quod iam in ipsa dialecto aliqua saltem ex parte apparet. In diverbio enim propius ad Ionicam dialectum sermo accedit, in chori vero canticis doricam magis speciem prae se ferre solet. Atque hoc etiam naturae utriusque tragoediae partis optime convenit. Diverbium enim in exponendis rebus externis versatur eamque ob causam eam requirit dialectum, cui mobilitatem quandam facilitatemque propriam esse constat. Chori vero cantica, quippe quae exprimendis animi motibus inserviant, ad doricam propius dialectum accedant necesse est, praesertim quum pleno ac meliore vocalium sono ad cantum eadem sit aptissima. Ne quis tamen putet, in diverbio dialectum mere esse Ionicam vel mere doricam in chori canticis. Utrumque enim falsum est, quamquam negari non potest, quin in his plures formae doricae, quam in illo Ionicae inveniantur. Neque hoc mirum. Chori enim cantica a Doriensibus potissimum expolita antiquissimam tragoediae partem efficiebant, quacum diverbium in Attica sensim tantum coniunctum est. Quam ob rem in illis formae doricae semper praevaluerunt. In diverbio vero, utpote ab Atticis proprie exculto, quamquam hic illic formae Ionicae inveniuntur, metro quodammodo requisitae, dialecto tamen Atticae primum locum concesserunt poetae tragici, quos ad stilum Atticum bene excolendum multum contulisse nemo facile infitiabitur. — Ad ipsum vero sermonem quod attinet, varium ille in diverbio chorique canticis colorem habet. In illo enim aeque is longe abest ab inani quadam sublimitate ac vitae communis consuetudine, sed via inter utramque media incedit, in lyricis contra partibus altius evolat nec raro rapidi instar fluminis currere solet. In iis vero partibus, quae chori ducis sunt aut invicem ab hoc et scenae aliqua persona pronuntiantur, in commis sive *τοῖς ἀπὸ σκηνῆς*, quamis vehementibus animi motibus exprimendis inserviant, tamen sermonem in diverbio usitatum semper fere tragici poetae adhibuerunt.

Similitudines, quae in epicis carminibus suam quasi civitatem habent multumque ad illorum suavitatem augendam conferunt, in tragoedia rarius occurrunt. Neque hoc mirum. Carmine enim epico res tempore iam dudum exacto gestae, dei, heroes eorumque facinora celebrantur, tragoediis contra non describuntur personae, quae non sunt, sed eae potius spectatoribus ante oculos ponuntur, ita ut, quales sint, quae agant, sentiant, ipsi videamus, ac res, sicuti gestae sunt vel geri poterant, spectandae proponantur. Item ad deorum magnitudinem fortitudinemque aperiendam describendasque heroum voces, vim, actiones modum conditionum humanarum excedentia, similitudines epico poetae advocandae sunt, quae omnia tragico poetae scenis, vestibus, personis (*προσώποις*) efficienda sunt. Unde factum est, ut in nonnullis tragicorum fabulis — uti in Philocteta Sophoclis, quem heroem poeta epicus sine similitudinibus omnino depingere non possit — ne una quidem similitudo inveniatur.

Sed multae res cum fabula intime cohaerentes a tragicis in scenam non producuntur nec omnino produci possunt. Quae a nuntiis aut

aliis eorum vice fungentibus narrantur. Hi igitur ad ea, quae acciderunt, referenda, optime similitudinibus uti possunt. In his enim narrationibus id spectant, ut rem clarius intelligamus et perspiciamus[1]). Etiam chorus saepissime animi motibus liber, de iis, quae gesta sunt aut gerenda erunt, tranquille secum meditans, magnificis carminibus sensus suos evolvere solet. Hic igitur res actas agendasque et personas earumque statum similitudinibus exhibere oculisque accomodatissime quasi subjicere potest, praesertim quum iis etiam cum spectatoribus haec animi tranquillitas communicetur[2]).

Sed non opus est, haec longius persequi. Id tantum hic animadvertendum esse puto, in tragoedia Graeca singula fere vocabula singulis animi motibus depingendis inservire, ita ut in sermone etiam plasticam tragicorum artem admiremur. Ipsam alliterationem, quam hodie vocamus, saepe tragici adhibuerunt, quamquam nunc quidem unius dumtaxat exempli in Aiace Sophoclis: „*πονὸς πονῷ πονὸν φέρει*“ memini, in quo saepius deinceps repetitis litteris *π* et quae cum illa arcte cohaeret *φ*, mira quadam ratione mala magis in dies crescentia sensibus quasi subjiciuntur.

Sed non eodem dicendi genere tres illi tragoediae Graecae principes sunt usi, ita ut tres illae omnis dictionis differentiae a Dionysio Halicarnassensi constitutae[3]): genus austerum, politum seu floridum, medium, in nullo fere litterarum genere melius discerni animadvertique queant, quam in tragoedia. In Aeschyli enim oratione Marathonius quasi strepitus est virtusque heroica[4]). Multa in ea inveniuntur vocabula ex ultima aetate repetita, multae dictiones ac loquendi formulae, quas alibi frustra quaesiveris, multa composita, quibus tanta audacia alius scriptor non est usus. Ubique vero apta similium vel cognatarum rerum memoria tamquam pictor aut sculptor rem quasi aspectui subiicere solet. Similitudines, quoniam ad epicam Graecorum aetatem proxime accedit, multo aliis tragicis saepius in orationem admisit, quae Homericas longitudine fere aequent. Praeterea pleonasmus, tautologia, anacoluthon, aposiopesis, similes figurae haud raro apud eum inveniuntur; semper magnum loquitur nititurque cothurno[5]). Quo fit, ut singulae eius fabulae obscuritate quadam laborent, quae iam a Quintiliano

---

[1]) Huiusmodi similitud. inveniuntur e. g. in Aesch. sept. adv. Theb. v. 52; 84; 380; 393; in Agam. v. 240; 288; in Soph. Trach. v. 699; in Oed. Tyr. v. 175; in Eurip. Hipp. v. 1201; in Phoen. v. 1153; 1169; 1377; 1380 multisque aliis locis.

[2]) cf. ex. g. chor. in Aesch. Agam. v. 717—746, in Soph. Oed. Col. v. 1239 sqq. et in Eurip. Orest. v. 341 sqq.

[3]) de compos. verb. cop. XXI: *Ἐγὼ μέντοι κυρίοις ὀνόμασιν οὐκ ἔχων, μεταφορικοῖς ὀνόμασι* (sc. *τὰς διαφορὰς*) *καλῶ, τὴν μὲν αὐστηρὰν, τὴν δὲ γλαφυρὰν ἢ ἀνθηρὰν, τὴν δὲ τρίτην κοινήν.*

[4]) cf. Aristoph. Ran. v. 1021, ubi comicus Euripidem ad Aesch. de fabula sept. adv. Theb. haec facit dicentem: *δρᾶμα ποιήσας Ἄρεως μεστόν.*

[5]) cf. Hor. art. poet. v. 280.

animadversa est, qui dicit: sublimis est et gravis (sc. Aeschylus) et grandiloquus saepe usque ad vitium[1]. A parte contraria Euripides stat, qui Aeschyli sublimitate austeritateque omnino carens, altero dicendi genere utitur, quod politum seu floridum Dionysius vocat[2]. Atque hoc toti eius poesis naturae optime convenit. Etenim quum homines pingeret, quales sunt, non quales esse debent, in sermone etiam ad vitae quotidianae consuetudinem magis eum descendere oportuit. Verba eius sonora sunt, levia, mollia et virgineo quasi venustoque vultu totaque eius oratio expedita est et perfacile currit placidi instar fluminis. Similitudines ab Aeschylo saepius usurpatae, raro apud eum inveniuntur, figurae vero rhetoricae frequentes occurrunt. Quam ob rem lectio fabularum eius oratori futuro a Quintiliano commendatur, quum dicit[3]: „Illud nemo non fateatur necesse est, iis, qui se ad agendum comparant, utiliorem longe Euripidem fore. Namque is et in sermone magis accedit generi oratorio, et sententiis densus, et in iis, quae a sapientibus sunt tradita, paene ipsis est par, et in respondendo ac dicendo cuilibet eorum, qui fuerunt in foro diserti, comparandus est. In affectibus vero quum omnibus mirus, tum in iis, quae miseratione constant, facile praecipuus.“

Mediam viam inter Aeschylum et Euripidem Sophocles iniit, qui ita orationem conformavit, ut verae tragoediae dignitati ea conveniret, unde merito maiestatis laude uno fere consensu omnes decorare eum consuerunt. Eo enim ille enisus est, ut Aeschyleae orationis tumorem dicendique licentiam, quam abhorrere intelligebat ab arte atque natura sapienter coerceret ac temperaret. Neque tamen ita vulgaris vitae imaginem in tragoedia expressam volebat, ut nihil omnino discriminis inter quotidiani sermonis exilitatem et cothurni sublimitatem intercederet, quum id sibi persuasum haberet, tragoediam omnia litterarum genera gravitate superare debere[4]. Quam tragicae orationis gravitatem maiestatemque et in vocabulis artificiose copulatis et in verborum conformatione, quam novator ille instituit insigniorem, et in aptissima dicendi ubertate positam esse puto. Novavit autem genera orationis instruendae et ornandae non temerario novandi studio tractus, sed quum nil moliatur inepte, eo semper consilio, ut orationis color affectibus et conditioni personarum congruat[5]. Idem vocabulis copulandi duplicandique

---

[1]) inst. orat. X, 1, 66 coll. Dion. Hal. cens. vet. script. II, 10.

[2]) cf. Dion. Hal. de compos. verb. c. XXIII et cens. vet. script. II, ubi dicit; *ὁ δ' Εὐριπίδης οὔτε ὑψηλός ἐστιν οὔτε μὴν λιτός, ἀλλὰ κεχραμένῃ τῆς λέξεως μεσότητι κέχρηται.*

[3]) cf. inst. orat. X, 66.

[4]) cf. Ovidii rem. amor. v. 375, ubi dicit:

„Grande sonant tragici, tragicos decet ira cothurnos.“

et eiusdem Trist. II, 380:

„Omne genus scripti gravitate tragoedia vincit.“

[5]) cf. Bernhardii lit. Graec. II, pag. 793.

insolentia conspicuis non utitur, nisi in chori interdum carminibus animisque vehementer omnino commotis ac perturbatis. Itaque fieri nequit, quin eorum, qui audiunt animi non tam dulci suavitate perfundantur, sed sublimius quasi evecti dicendi novitate perfringantur. Omnes enim poeta ad se totos solet convertere atque rapere, ut summa animi intentione singularem dictorum verborumque gravitatem examinent in eiusque cogitatione defixi quasi teneantur.

Jam igitur videmus, suas quemque poetam habere laudes, suas pulchritudines suasque sermonis proprietates variae singulorum tragoediae naturae optime convenientes. Quam ob rem etiam iis, quae ad sermonis perfectionem attinent, omnibus fere aliis literarum Graecarum generibus longe tragoedia praestat.

Sermoni vero totique tragoediae natura etiam metrum accommodatum est, quod pro duobus plane diversis poesis generibus in ea commixtis varium est. In diverbio enim utpote epicae tragoediae parti unum eundemque versum semper repetitum invenimus, contra in chori canticis pariter atque in lyricis Graecorum carminibus versus perquam varii varieque compositi occurrunt. In diverbio igitur trimeter iambicus proprium locum habet. Jambus enim incessum et percussionem habet insignem et virilem, quum a brevi incipiat et desinat in motum gravem, ita ut non acer tantum et bellicosus, sed etiam mordax sit et iracundus[1]. Accedit, quod eodem iambo in sermone vitae quotidianae, qui fere in diverbio occurrit, nullus pes est usitatior ac frequentior. Quod iam ab Aristotele comprobatur, qui *μάλιστα λεκτικόν* eum appellat[2]. Unde elucet, diverbio, utpote quod vividae actioni depingendae inservit, eundem versum longe esse aptissimum. Sed ne perpetua iambi repetitio satietatem quandam ac taedium auditoribus afferret, mira varietate poetae eum temperarunt. Quod ita effecerunt, ut certas quasdam incisiones sive caesuras adhiberent, quarum ea, quae invenitur in medio pede tertio legitima est. Praeterea vero eam quoque, quae *ἑφθημιμερής* vocatur, multasque alias incisiones, quae certo nomine carent, saepe usurparunt. Sed tamen etiam versus occurrunt, qui omni caesura careant, praecipue in nuntiorum narrationibus, in quibus pro illorum hominum natura minore paulo severitate, ut in toto sermone, ita etiam in re metrica iure poetae utebantur. Anapaestus pro iambo non invenitur, nisi in primo pede nominibusque propriis, in quibus vix ille evitari potuit[3].

Aeschylus igitur et Sophocles anxia quadam cura in omnibus his rebus observandis versati sunt, Euripides vero, ut in aliis rebus, ita

---

[1]) cf. Schaeferi adnot. ad Dion. Hal. de compos. verb. pag. 220.

[2]) cf. Arist. poet IV, 18 et eius lib. de arte dic. III, ubi haec leguntur: *ὁ δὲ ιαμβος αὐτή ἐστιν ἡ λέξις τῶν πολλῶν· διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες.*

[3]) In Sophoclis Antig. v. 11 legitur: *ἐμοὶ μὲν οὐδεὶς μῦθος, Ἀντιγόνη, φίλων κτλ.*

etiam in re metrica paulo negligentior est, quippe qui non solum pluribus anapaestis, verum etiam multo illis frequentiore longarum syllabarum solutione utatur, ita ut, quod bene Hermannus animadvertit[1]), quo vix alium quemquam harum rerum peritiorem invenias, inde ab Ol. LXXXIX ad satyrici versus levitatem pristina illa trimetri gravitas magis magisque inclinaret.

Praeter trimetrum iambicum in diverbio, ubi maior animorum motus in colloquiis exprimendus est, etiam tetrameter trochaicus interdum adhibetur. Debilem enim et muliebrem motum trochaeus imitatur, vehemens in initio, sed cito deficiens. Quapropter ita poetae tragici illo versu sunt usi, ut post magnum actionis discrimen ad chori cantica eo transirent. Anapaestici vero dimetri in iis potissimum diverbii partibus inveniuntur, quae chori ducis sunt, ita ut ille actionem iis finiat aut chori personas discedendi tempus adesse hortetur. Ad parodi et stasimi metra quod attinet, quae pro diversa chori natura perquam varia sunt, hoc loco accuratius de iis loqui non possum, quippe quum illa sine magna doctrinae copia pertractari vix queant. Quam ob rem quum de accurata et perquam artificiosa eorum in singulis strophis atque antistrophis responsione iam antea fusius disputatum sit, de commis tantum canticisque ἀπὸ τῆς σκηνῆς, quae summae tristitiae, dolori, desperationi exprimendis inserviunt, pauca hic addere liceat. In his igitur versus dochmiaci praecipuum locum obtinent, qui eorum naturae bene conveniunt. Propter duas enim arses statim se excipientes inconcinnitatem quandam et impediti quid habent, quo optime vehementissimi animorum motus et agitationes exprimuntur. Cuius metri, quod nobilissimum omnium iure Hermannus appellat, octo formae exstant praecipuae, quae ita variari possunt, ut viginti quatuor novae inde procedant. Quae quum ita sint, in tota tragoedia Graeca vix ullam sententiam invenias, cui non metrum optime accommodatum sit.

Ab hac igitur formae cum ipsa sententia conspiratione plastica tragoediae Graecae natura, quam uno omnes consensu ei tribuunt, magna ex parte profecta est. Praeterea vero tota etiam tragoediae agendae ratio multum ad plasticam illam naturam augendam contulit. Omnino enim in dubium vocari nequit, quin tota tragoedia Attica cum cantu et saltatione coniuncta in scena sit acta. Quod, etiamsi veterum scriptorum testimoniis non constaret, ex perpetuis illis rhythmorum commutationibus, quae in quavis tragoedia occurrunt, facile conjici posset. Omnis enim poesis id primum spectat, ut cogitata, affectus, actiones ad totum quoddam coniungat, quia singulis illis exprimendis non tam facile id, quo tendit, consequi potest. Graeci quidem certe a primis inde poesis initiis poesin, cantum ac saltationem unam eandemque artem habuerunt, quibus etiam musices, i. e. Musae artis commune nomen indiderunt. Quam ob rem suo iure Simonides saltationem mutam esse poesin, poesin vero nil nisi saltationem verbis expressam

---

[1]) in elem. doctr. metr. II, XIV, 15.

dicere potuit. Atque haec trium illarum artium arcta coniunctio iam ipso sermone haud obscure Graecis significabatur, quippe in quo illustre metrum liberque accentus ad cantum motumque rhythmicum omnes provocarent. Quapropter antiquissimum poesis genus, rhapsodiae epicae, iam canebatur, quod vel inde elucet, quia antiquissimos artis musicae magistros ad unum omnes etiam poetas fuisse memoriae proditum est. Etiam posteriore tempore, quum versus poetae componerent, qui legerentur, formae illae rhythmicae semper retinebantur, quia id semper poetae spectabant, ut lectores cantatos cantandosve mente eos complecterentur. Quae quum ita essent, fieri non potuit, quin etiam gestus canentium singulis rhythmi generibus aptaretur. Quodsi in epicis carminibus haec artium coniunctio iam erat usitata, vix quisquam dubitabit, quin in tragoedia ex chori canticis profecta, quae id proprie spectat, ut cogitata, affectum, actionem quam optime ante oculos spectatoribus ponat, non coniunctae illae inveniantur, praesertim quum primariae actionis personae singularem summae perfectionis imaginem repraesentent. Ac re vera omnes has artes in usum tragoedia vocavit, ut pro varia rei repraesentandae natura eam dignitatem eamque vim sensus animique motus inde trahere possint, quam tota sententia necessario requirit. Quod quamvis veterum testimoniis satis certum esse videatur, id tamen valde dolendum est, quod nulla integra fabula ad nostram usque aetatem pervenit, in qua adhuc conjunctae illae artes servatae sint. Sine accurata enim saltationis cantusque rationis cognitione multae semper subtilitates multaeque pulchritudines in singulis singulorum tragicorum operibus a lectore vel maxima alioquin eruditionis copia instructo vix animadverti intelligique queunt. Sed haec hactenus.

Iam vero, quoniam de argumenti formaeque tragoediae natura satis mihi disputasse videor, id quoque breviter exponatur necesse erit, quid potissimum tragoedia sibi proposuerit, quum id cogitari vix possit, sine ullo consilio poetas eam composuisse.

Hic igitur ad Aristotelis definitionem nobis recurrendum est, qui id tragoediae esse dicit, ut miseratione ac metu has ipsas similesque animi perturbationes purget[1]). Quae verba varie a multis viris doctis explicata, a paucis bene intellecta sunt. Quorum magno in numero primus Lessingius multa cum sagacitate demonstravit, non ita verba illa esse intelligenda, ut miseratione ac terrore singulas quasque in singulis fabulis descriptas perturbationes tragoedia purget, sed miseratione ac metu — ita enim *φόβον* recte intelligit — harum ipsarum perturbationum iisque similium purgationem perficiat. Quem finem ut tragoedia consequatur, quoniam miseratio ad innocentem spectat,

---

1) poet. VI, 2: *ἔστιν ἡ τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας μέγεθος ἐχούσης· ἡδυσμένῳ λόγῳ, χωρὶς ἑκάστῳ τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις· δρώντων καὶ οὐ δι' ἀπαγγελίας· δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν.*

metus vero ad similem nostrum[1]), talem sibi tragicus poeta fingere debet personam, quae nec virtute excellit, nec per malitiam in mala incidit, sed per magnum quendam errorem[2]). Ad quod si accedit, ut tam apte ille error e necessitatis verisimilitudinisve legibus pendeat[3]), vix ut evitari potuisse videatur neque ipsos iisdem aut similibus conditionibus aliud quidquam facturos fuisse credamus, tum certe nobis timendum est, ne idem malum nobismet ipsis facile accidere potuerit. His vero conditionibus, quum metus nihil sit aliud, nisi miseratio ad nosmet ipsos relata, hanc quoque animi affectionem in nobis excitari debere, facile apparet[4]) Quae quum ita sint, fortasse quispiam putaverit, spectatorem demisso plane atque perculso animo a rerum vere tragicarum spectatione recedere neque ullam voluptatem inde esse percipiendam. Sed falsa est talis opinio. Nam etiam tragoedia ita a poeta instituta est, ut propriam quandam voluptatem efficiat[5]) ex ipsa miseratione illa ac metu prodeuntem. Aristotele enim auctore id primum constat, quas res ipsas quasi inviti aspiciamus, earum simulacra diligenter elaborata magnam plerumque voluptatem nobis afferre[6]). Quod quamvis proprie de sculptura ac pictura sit dictum, utpote quae in rerum imaginibus effingendis versantur, tamen ad omne genus poesis maximeque tragoediam referri potest, quia ex Aristotelis sententia hoc omnium artium commune vinculum est, ut imitatione omnes contineantur. Quam ob rem quum etiam in spectandis gravissimis acerbissimisque malis in tragoedia tractatis nunquam id prorsus nobis persuasum sit, vera esse illa mala nec arte poetae effecta, iam patet, magnam atrocitatis eorum partem ex animo nostro discedere. Tali modo fit, ut ipsam personam intereuntem, ingentem Oedipi ruinam Medeamque liberos suos nefarie necantem cum admiratione quadam ac voluptate in scena conspiciamus nec ea tristitia afficiamur, quam vix effugere possemus, si re vera id agentibus personis accideret, quod cum magna saepe verisimilitudinis specie vere iis accidere videtur. Huc accedit, quod ita ubique tragoedia necessitatis ac verisimilitudinis legibus subjecta est, ut etiam malum errore illo effectum non solum necessarium, sed etiam, quia culpa subest, iustum esse intelligatur. Haec vero necessaria rerum

---

[1]) Arist. poet. XIII, 4: *ἔλεος μὲν περὶ τὸν ἀνάξιον, φόβος δὲ περὶ τὸν ὅμοιον.*

[2]) cf. Arist. poet. XIII, 5—7.

[3]) Arist. l. c. XV, 6—7 et IX, 1—6.

[4]) cf. Lessingius in dramat. Hamburg, II, pag. 125 et adnot. 2 in pag. antec. De ipsius vero Lessingii sententia fusius disputavit Dr. Schroer: „Lessings dramaturgische Ansichten". Progr., Hagen 1865.

[5]) Arist. poet. XIV, 4—5: *οὐ πᾶσαν δεῖ ζητεῖν ἡδονὴν ἀπὸ τῆς τραγῳδίας, ἀλλὰ τὴν οἰκείαν· κτλ.*

[6]) Arist. poet. IV, 3: *ἃ γὰρ αὐτὰ λυπηρῶς ὁρῶμεν, τούτων τὰς εἰκόνας τὰς μάλιστα ἠκριβωμένας χαίρομεν θεωροῦντες· οἷον θηρίων τε μορφὰς τῶν ἀτιμοτάτων καὶ νεκρῶν.*

cohaerentia maximeque profecta inde cognitio, haud inique primariam personam magnam calamitatem accipere, voluptatem illam tragoediae propriam efficit, qua miseratio ac metus e tragoedia redundantia purgantur et spectatorum animi vehementer perculsi levantur[1]).

Sed aliam etiam eamque saluberrimam tragoedia vim habet. Id enim nobis ostendit, fortes viros aequo animo perferre, quemcunque casum fortuna invexerit, nec in quovis malo omnem spem statim esse abjiciendam. Atque hic est ex omni tragoedia Graeca fructus uberrimus. Hinc enim quasi normam petit spectator, qua ea mala, quae ipsi fortasse obveniant, recte ponderare possit, hinc iustam sibi parat sententiam, vel gravissimis malis irruentibus tam fortiter esse resistendum, ut

„Si fractus illabatur orbis
„Impavidum feriant ruinae“[2]),

hinc denique magnam utilitatem ad mores emendandos excolendamque humanitatem capit. Atque hanc vim in spectatorem tragoediam re vera habere, si Platonem exceperis[3]), constans totius antiquitatis opinio est, quam Timocles, qui poeta comicus Aristoteli erat aequalis, bene confirmat, quum dicit:

„. . . . ὁ γὰρ νοῦς τῶν ἰδίων λήθην λαβών,
Πρὸς ἀλλοτρίῳ τε ψυχαγωγηθεὶς πάθει,
Μεθ' ἡδονῆς ἀπῆλθε παιδευθεὶς ἅμα.“

Ex his omnibus elucet, tragoediam similem esse quodammodo hastae illi Pelei, quae non solum vulnera infligebat, sed etiam inflicta ipsa sanabat. Nam quamvis miseratione ac metu concitandis spectatoris animum quasi vulneret, tamen ipsa hac concitandi ratione, i. e. tota factorum compositione duas illas animi affectiones earumque similes ad iustum modum revocare iisque quasi mederi solet. Harum igitur animi affectionum purgatione ex Aristotelis totiusque fere antiquitatis sententia summus tragoediae finis continetur.

Praeterea etiam poetarum consiliis, veteribus reipublicae institutis[4]) ac moribus usque conservandis, iustitiae aliisque permultis virtutibus commendandis, ipsis denique disciplinis philosophicis pervulgandis probandisque haud raro eam inservivisse, si quis accuratiorem paulo cum iis, quae adhuc supersunt tragoediis inierit familiaritatem, eum vix fugere poterit. Sed longum est, singula quaevis accuratius hoc loco persequi. Quam ob rem, quoniam de tota tragoediae Graecae natura

---

[1]) cf. Stahr: „Ueber das Wesen der tragischen Katharsis“, quae commentatio invenitur in calce huius viri docti versionis Germanicae artis poeticae Aristotelis inde a pag. 41 sqq.

[2]) Hor. carm. III, 2, 6.

[3]) cf. Plato de republ. X, pag. 604—607 ed. Steph. et Dr. Meyer: „Aristoteles und die Kunst“. Progr., Schwerin 1864, pag. 15 et 16.

[4]) Areopagus Atheniensium, cuius potentia atque auctoritas Diod. Sic. XI, 77 auctore Ol. 80, 1 per Ephialtem erat minuta, ab Aeschylo in Eumenidibus aperte defenditur.

satis mihi multa verba fecisse videor, missis ambagibus iam ad alteram commentationis nostrae partem, in qua de neccessitudine tragoediae cum epica Graecorum poesi dicendum est, transeamus.

Iam igitur constat, unumquemque populum in excolendis variis literarum generibus ita versari, ut iis, quae posteriore tempore oriuntur, ex singulis accuratius iam expolitis multa admisceat iisque quasi fundamento nova superstruat. Quod nec mirum nec omnino vituperandum. Nam si, quidquid in uno literarum genere profecerit, in altero omnino non respiceret, ad quem perfectionis gradum in illo pervenerit, eum in hoc vix unquam superaret. Quam ob rem etiam poetas Graecorum tragicos, quidquid apti in epica poesi invenerint, in usum suum convertisse vel per se probabile est. Ac re vera omnia fere trium tragoediae principum argumenta ex Homericis cyclicisque potissimum Graecorum carminibus esse petita quum ex deperditorum titulis, tum ex iis, quae adhuc supersunt fabulis optime elucet. „Fuit enim", ut Wolfii verbis utar[1]), „cyclus epicus multorum ἐπῶν ab initiis rerum ad mortem usque Ulyssis deductorum collectio, omnem prope fabularem historiam perpetua et naturali serie complectens", ita ut apta quibusvis tragoediis argumenta tragici vix melius usquam haurire possent. Ipsis vero carminibus ceterisque, si quae hac de re scripta erant, deperditis, magni aestimandum est Photii munus, utpote qui frustula disputationis de cyclo epico, e Procli chrestomathia excerpta, in bibliotheca sua ab Heynio edita[2]) deposuit atque servavit. Inde enim elucet, cycli huius carmina fundum fuisse fabularum, quae hinc a tragicis variis modis tractatae et pro suo cuiusque poetae ingenio ornatae sunt. Ac profecto exceptis Aeschyli Persis nonnullisque Euripidis fabulis omnium, quae quidem nunc exstant tragoediarum argumenta ex epicis carminibus esse desumpta recentiore tempore a Welckero tam studiose, tam diligenter, tam subtiliter investigatum tamque firmis exemplis ac rationibus comprobatum est, vix ut hodie quemquam invenias, qui iure hanc rem in dubitationem vocare possit. Accedit, quod ex ipsa antiquitate certa hac de re testimonia ad nos pervenerunt. Ipse enim Aeschylus fabulas suas τεμάχη τῶν Ὁμήρου μεγάλων δείπνων appellasse narratur[3]), de Sophocle vero vitae eius scriptoris testimonio constat, hunc poetam in mythis Homerum sequi esse solitum[4]). Iam vero, quoniam paucissimas aut nullas fabulas uterque poeta composuit, quarum mythi in nostro Homero narrentur, fortasse quispiam putaverit, omnem fidem his testimoniis esse denegandam. Sed res bene explicari potest, si cum Wüllnero Homeri nomen quasi appellativum accipias, quod nihil aliud significet, nisi eos omnes poetas, qui carmina epica mera et vera composuerunt, sive

---

[1]) prolegom. in Homerum, pag. 127.

[2]) in bibl. Götting. vet. lit. et art. 1786 pag. 46 sqq.

[3]) cf. Athen. deipnos. VIII, pag. 347 E.

[4]) Anonymus in vita Soph. pag. 23 ed. Schaeferi dicit: τοὺς δὲ μύθους φέρει κατ' ἴχνος τοῦ ποιητοῦ (sc. Ὁμήρου).

veros et antiquos Homeridas, quorum carmina ex eiusdem viri docti sententia cum cyclicis eadem esse putanda sunt[1]). Idem etiam probabilius fit alio vetere testimonio, quo Sophoclem ita cyclo epico delectatum esse comprobatur, ut tota dramata inde desumpta composuerit[2]).

Ceterum non eandem rationem in mythis epicis imitandis tres tragicorum principes observarunt. Aeschylus enim atque Sophocles, utpote quorum aequales etiamtunc fabulas a maioribus acceptas religiose credebant, nihil fere in mythis mutarunt, quum praesertim ipsorum poetarum ingenium pie eos amplecteretur. Euripides vero, cuius aequales sacra a vetustate recepta repudiabant cuiusque ingenium haud valde ad ea se inclinabat, non solum rarius ex puris epicorum fontibus argumenta sua hausit, sed etiam, si qua inde deprompsit, ita ea mutavit, ut nihil fere pristinae dignitatis retinuerint, sed novam prorsus faciem ad illius aetatis indolem expressam praebeant. Sed quantum pro suo quisque ingenio temporumque ratione singuli poetae in mythis mutaverint, non est, quod accuratius hîc exponatur. Id quidem ex Photii excerptis allatisque testimoniis satis elucet magisque etiam appareret, si Glauci[3]), Chamaeleonis[4]), Demarati[5]) aliorumque veterum hac de re libri conscripti ad nos pervenissent, plerasque fabulas argumentis ab epicis maximeque cyclicis poetis tractatis quasi fundamento esse superstructas. Atque haec tragicorum consuetudo, quam nostri etiam poetae tragici magna ex parte retinuerunt, quum aut historiae, cuius vice apud Graecos epica poesis fungebatur, aut mythis ab epicis poetis tractatis fabulas suas superstruere soleant, non solum arti tragicae maxime accommodata est, verum etiam ipsi poetae magnam plerumque utilitatem affert. Id est enim tragoediae, ut nobis ostendat, omnia humana fragilia esse atque a deorum potestate tota pendere. Quod ita optime sane demonstrari potest, si iis poeta fabulam nititur, quae aut re vera facta sint, aut facta esse vulgo credantur. Deinde vero poetae, si personas ex historia vel fabulis notas agentes in scenam producit, non valde elaborandum est, ut omnes earum conditiones accurate spectatoribus proponat, quippe quas magna ex parte perceptas iam habeant[6]).

Iam igitur vidimus, epicam Graecorum poesin fabularum argumenta poetis tragicis plerumque vel semper fere praebuisse. Ac primis quidem iam magis excultae tragoediae temporibus Aeschyli nomine

---

[1]) in comment. de cyclo epico poetisque cyclicis, pag. 36 sqq.

[2]) cf. Athen. VII, pag. 277 E.: *ἔχαιρε δὲ Σοφοκλῆς τῷ ἐπικῷ κύκλῳ, ὡς καὶ ὅλα δράματα ποιῆσαι κατακολουθῶν τῇ ἐν τούτῳ μυθοποιΐᾳ.*

[3]) cf. Diog. Laert. IX, 38 et Jons. de script. hist. philos. I, 4.

[4]) cf. Diog. Laert. V, 91.

[5]) cf. Clem. Alex. in protr. III, 42 pag. 12.

[6]) Ein bekannter historischer Charakter, z. B. Socrates, Caesar, tritt, wenn ihn der Dichter ruft, wie ein Fürst ein und setzt sein Cognito voraus: ein Name ist hier eine Menge Situationen. Hier erschafft schon ein Mensch Begeisterung und Erwartung.

Jean Paul.

insignitis ipsa haec argumenta etiam more fere epico tractabantur. Nondum enim necessarium huic poetae visum est, arctioribus finibus ea circumscribere, sed epicam fere rerum seriem retinuit. Hinc igitur profecta est propria Aeschyli ratio, qua ita argumenta tractabat, ut ternas tragoedias totum quiddam efficientes, cui trilogiae nomen erat, ex singulis conficeret. Has vero trilogias, quarum tragoediae ita institutae erant, ut antecedens quaeque sequentis argumentum quodammodo constitueret talique modo singulae arcte inter se cohaererent, aliud carmen hilarioris argumenti, cui dramatis satyrici nomen erat, subsequebatur. Tali modo ex trilogia facta est tetralogia, cuius singulae fabulae uno deinceps die docebantur. Atque haec ratio semper a tragicis retinebatur. Ipse enim Sophocles atque Euripides, uti ex iis, quae de victoriis ab illis reportatis tradita sunt, bene cognosci potest, ternas semper aut quaternas fabulas una edebant. Cui sententiae Suidae quidem testimonium obstare videtur, qui haec de Sophocle tradit: *καὶ αὐτὸς ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ μὴ τετραλογίαν.* Sed nodum in scirpo viri docti quaesiverunt. Nihil enim aliud his verbis significatur, nisi Sophoclem primum dramata edidisse, quae trilogiae vel tetralogiae naturam et compositionem, quales ab Aeschylo erant constitutae, non habuerint [1]). Singulae enim Sophoclis plurimaeque Euripidis fabulae non ita inter se cohaerebant, ut totum quoddam inde efficeretur, sed unaquaeque per se erat perfecta atque absoluta. Sed iam sentio, me longius esse provectum, quam proposita ratio postulat. Quam ob rem, si quae insuper de necessitudine tragoediae cum epica Graecorum poesi dicenda sunt, ea breviter tantum atque obiter hic mihi attingere liceat.

In ethologia igitur quantopere ad epicorum poetarum rationem tragici sese accommodaverint, id hodie cycli epici carminibus deperditis rationeque, quam in singulis singuli poetae observaverint, in dubio versante, ex solis Homeri poematis metiri possumus. Ex his vero, si accurate ea cum trium tragicorum principum operibus comparaveris, satis elucet, Aeschylum atque Euripidem in personarum moribus describendis valde ab Homero dissentire, Sophoclem contra neque in hac re nec in tota dictionis forma valde ab Homero distare, sed quam proxime poetarum principis vestigia ingredi. Idem iam veteribus saepe animadversum est [2]), unde etiam *φιλομήρου* nomine eum ornarunt [3]). Neque id iniuria. Sophocles enim nihil admodum in mythis solitus

---

[1]) cf. Schultz: „de vita Sophoclis poetae", pag. 68 sqq.

[2]) in Soph. vita Anonymi, pag. XXIII ed. Schaeferi haec de Sophocle leguntur: *Ἠθοποιεῖ δὲ καὶ ποικίλλει καὶ τοῖς ἐπινοήμασι τεχνικῶς χρῆται, Ὁμηρικὴν ἐκματτόμενος χάριν.* cf. etiam Eustath. ad Hom. pag. 645, 16; 1140, 26 et 1461 ed. Rom.

[3]) de Sophocle *φιλομήρῳ* exstat comment. Wüllneri in allgem. Schulzeitung. 1828, Abthl. II, Nr. 134 u. 135, in qua multa, quae huic nomini illustrando inserviant, collata inveniuntur.

est novare atque simplicitatem eorum, qualem in epico carmine videmus, quam diligentissime servavit. Alii vero poetae tragici, quamquam eadem fabularum argumenta ex Homericis aliisque carminibus cyclicis deprompsisse supra vidimus, tamen hoc ita fecerunt, ut non nisi semina historiarum et personarum nomina inde sumerent, fabulas ipsas ex ingenio plerumque et arbitrio disponerent ac mutarent.

Iam vero — ut ad alia pergam — apud omnes tragicos liberior atque epicus vocabulorum usus invenitur, qui aut irrepsit in tragoediam, aut consulto a poetis introductus est, ut docta atque artificiosa dictione a vulgari sermone poesis distingueretur. Quam ob rem saepe comicorum stimulos poetae tragici experti sunt. Huc enim, ut alia testimonia omittam, Ariphradis comici verba referenda sunt, qui diserte eos ridet: *ὅτι ἃ οὐδεὶς ἂν εἴποιεν τῇ διαλέκτῳ, τούτοις χρῶνται· οἷον τὸ δωμάτων ἄπο, ἀλλὰ μὴ ἀπὸ δωμάτων· καὶ τὸ σέθεν· καὶ τὸ ἐγὼ δέ νιν· καὶ τὸ Ἀχιλλέως πέρι, ἀλλὰ μὴ περὶ Ἀχιλλέως· καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα*[1]). Tali modo tragicos ille culpat veris falsa immiscens recte fortasse propter reliqua, sed propter anastropham praepositionis *περὶ* perperam, quippe quae non solum ab Herodoto Ionico[2]), verum etiam a Platone Attico ita usurpatur[3]). Denique alia etiam huc pertinent omnibus tragicis communia. Saepe enim augmenti abolitio invenitur, saepe articulus, ut in Homero semper vel fere semper, sic apud tragicos sane pronomen aut relativum aut demonstrativum est[4]). Neque id hoc loco praetereundum est, quod in praepositionibus, si pleniorem sonum tragici captant, pro forma usitata epicam saepe admittunt et litteris *σσ* duritiae vitandae causa pro *ττ* ubique utuntur.

Sed quid opus est pluribus? Quamvis enim non omnem materiam, quam trahere huc possis, veluti cum pulvisculo me exhausisse libenter confitear, eo tamen rem a me esse deductam confido, ut maxima ex parte tragoediae cum epica Graecorum poesi necessitudo a quovis facile perspici possit. Quae, si tanta est, quantam in posteriore commentationis parte esse eam demonstrare tentavimus, vehementer sane nos exhortatur, ut optimas quasque tragoediae atque epicae Graecorum poesis reliquias diligenter semper legamus accurateque perscrutemur. Multa enim in epica poesi inveniuntur, quae ad tragoediam penitus intelligendam maximam utilitatem habeant eique illustrandae inserviant. Sed tamen in tragoedia cognoscenda praecipuum studium nos ponere par est. Illius enim naturam qui vel obiter perspexerit, vix unquam infitiabitur, in hoc poesis genere perfectissima Graeci ingenii monumenta esse effecta. Quidquid in reliquis poesis generibus Graeci consecuti sunt, id vel perfectius in una quoque tragoedia inve-

---

1) Arist. poet. XXII, 14 cll. Thierschii gram. Graec. pag. 360.

2) vid. exempla apud Matthiaeum in gram. Graec. pag. 1175.

3) In Plat. symp. c. s. haec leg. *τοιούτων πέρι πολλὴν σπουδὴν ποιήσασθαι.*

4) De hac re fusius disputavit Hahnius in programmate, cui est titulus: „de articuli apud trag. Graec. loco pron. rel. usu". Salzwedel 1846.

nitur, quippe in qua epica ac lyrica poesis in unum quasi corpus coaluerint. Ac ne hodie quidem summa in tragoedia Graeca perfectio desideretur. Singulae enim singulorum poetarum tragoediae a doctissimis quibusque omnium fere gentium viris hodieque leguntur ac releguntur, neque ulla adhuc inter eos dissensio fuit, non solum omnes reliquorum poesis generum pulchritudines ac subtilitates eas in se continere, sed alias etiam habere ab illis prorsus alienas. Neque vero recentiores poetae hanc earum perfectionem in dubium vocant, quippe qui totam hodiernae tragoediae naturam ad fabularum Graecarum exempla ac deducta inde praecepta conformare atque exigere cupiant. Profecto igitur tragicorum Graecorum opera digna sunt, quae praecipuum in studiis nostris locum obtineant. „Haec enim studia — ut cum Cicerone loquar — adolescentiam agunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur“ [1]).

---

[1]) Cic. in orat. pro Arch. poet. VII, 16.

Assindiae, officina typographica G. D. Bædeker.